

12 27  
BIBLIOTHECA  
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ

SAECULA XV—XVI.

UGOLINUS VERINUS

PANEGYRICON

AD FERDINANDUM REGEM ET ISABELLAM  
REGINAM HISPANIARUM DE SARACENAE  
BAETIDOS GLORIOSA EXPUGNATIONE

EDIDERUNT  
IOSEPHUS FÓGEL ET LADISLAUS JUHÁSZ

MCMXXXIII. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

BIBLIOTHECA  
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ

SAECULA XV—XVI.

UGOLINUS VERINUS

PANEGYRICON

AD FERDINANDUM REGEM ET ISABELLAM  
REGINAM HISPANIARUM DE SARACENAE  
BAETIDOS GLORIOSA EXPUGNATIONE

EDIDERUNT  
IOSEPHUS FÓGEL ET LADISLAUS JUHÁSZ

MCMXXXIII. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

Iq. kot

114 930



## INTRODUCTIO.

### *De vita scriptisque Ugolini Verini.*<sup>1</sup>

Ugolinus Verinus (Ugolino Verino vel Ugolino de Vieri) a. 1438. 18. Florentiae natus est. Pater eius faber lanificus civis nobilis erat. it. Iuvenis magistro studiorum humanitatis Christophoro Landino 10 usus, mox disciplina iuris imbutus notarius aliquot magistratuum urbis patriae factus, postremo notarius camerae Florentinae electus et tabulario Florentino praefectus est. A. 1468. uxorem duxit, ex qua plures liberos, amatissimum Michaellem suscepit, qui 12 duodecim annos natus carmine condendo adeo excellebat, ut admiratione poetarum, qui tunc erant, afficeretur. Ugolinus Verinus ps praeter magistratum tempus pueris nobilibus docendis quoque consumpsit; inter discipulos Iohannes de Medicibus postea papa Leo 10 X. erat. Consuetudine sui temporis patronum et ipse sibi adipiscisci conabatur, Sixtum IV., mox Mathiam Corvinum de Hunyad regem Hungariae, cui epigrammatum libros VII dedicavit. Codicem in oblatum frater eius Silvester Budam portavit (1484.), sed reversurus mari prope Venetias donis a Mathia rege datis spoliatus est. A. A. 1487. filius Michael duodeviginti annorum e vita decessit, quem pater magnopere lugebat. A. 1492. tota Baetis provincia Hispaniensis Maurorum, cuius caput Granata est, a Ferdinando rege re et Isabella regina recuperata est. Poeta gaudio totius Christianitatis elatus panegyricon<sup>2</sup> in laudem Ferdinandi et Isabellae composuit et iisdem codicem, qui ad nostram quoque aetatem remansit (*M*), dedicavit. In Panegyrico e duobus libris constanti descripsit, quomodo singula oppida arcesque Baetidos et demum ipsa a Granata expugnata essent. — Carmen eius epicum longum plus qs quam ex octo milibus versuum constans Carlias<sup>3</sup> Carolo VIII. regi 7i Francorum dedicata, in qua gesta Caroli Magni cecinit, maxirimi aestimata est. — Ugolinus Verinus a. 1516. Florentiae 78. annum agens mortuus est, qui vere poeta Christianitatis nominari potest.

*Opera memoratu digna:* Carlias, De Christiana religione, De illustratione urbis Florentiae, De vitiis et virtutibus, Epigrammata, ta, Flammitta, Odae, Panegyricon ad Ferdinandum regem et Isabelbellam reginam Hispaniarum de Saracenae Baetidos gloriosa expugnatione, Paradisus, Silvae, Vetus et Novum Testamentum.

---

<sup>1</sup> <sup>1</sup> De Ugolino Verino copiosissime scripsit A. Lazzari, Ugolino e Michele le Verino. Studi biografici e critici. Contributo alla storia dell'umanesimo io in Firenze. Torino, 1897.

<sup>2</sup> <sup>2</sup> Nunc primum in lucem prodit.

<sup>3</sup> <sup>3</sup> Primum in hac Bibliotheca Scriptorum nobis curantibus brevi appareabit.

*De codicibus Panegyrici.*

*M* — Madritum (Madrid). Bibl. Nationalis. No. 5821. Saec. XV. Mambr. — Qui codex ab ipso poeta Ferdinando regi et Isabellae reginae dedicatus est. Folia 1—5 non recto ordine compacta sunt; quae folia hoc modo ordinanda sunt: 3, 5, 2, 1, 4. Inter folia 5 et 6 folium versus 1—27. Panegyrici libri I. continens periit. — Codice Praefationes ad Ferdinandum (3*r*—*v*, 5*r*—*v*, 2*r*) et Isabellam (1*r*—*v*, 4*r*—*v*) scriptae et Panegyricon (a versu 28. libri I.; 6*r*—43*v*) et Gratulatio (45*r*—47*r*) continentur.

*F* — Florentia. Bibl. Nationalis. Cl. VII. num. 601. Saec. XV. Chart. — In codice Praefatio ad Ferdinandum scripta (1*r*—3*r*) et Panegyricon (3*v*—39*v*) et Gratulatio (40*r*—41*v*) inveniuntur. — Praefatio ad Isabellam scripta in codice desideratur.

---

UGOLINUS VERINUS

PANEGYRICON

AD FERDINANDUM REGEM ET ISABELLAM REGINAM HISPANIARUM.

*Praefatio I.*

*ad invictissimum et Christianissimum Ferdinandum regem  
Hispaniarum de expugnatione Granatae.*

Gloriosa tuae victoriae magnitudo plus, nescio, gaudii  
Christianis attulerit, quam securitatis, crebris enim barbarorum  
cladibus ab annis ferme sexcentis vexata res publica  
Christianorum non integram servabat Europam, ab oriente  
post Asiae Libyesque vastitatem, quae caeno Maumettanae  
haeresis foedatae Christi nitorem perdidere, magna pars  
orbis Turcarum immanitate corrupta est. Thracia ac Graecia  
tota deleta est. a quo primum fonte non solum doctrina philo-  
sophorum, sed ecclesiastici sermonis eruditio defluxit ad  
nostros. In occidente vero per annos prope octingentos Sa-  
raceni Baeticam regionem occupavere non sine catholicae  
veritatis detrimento, nec minore dedecore nostrae religionis,  
parumque abfuit, quin hoc incendio discordia principum  
utraque quondam Hispania conflagrarit. Temporibus tandem  
nostris divina clementia, virtute tua coepimus respirare. Rep-  
ulisti grave iugum praepotentis nequitiae a cervice Hibe-  
rorum. Superasti barbaras nationes multitudine paene innu-  
merabiles. Domuisti populos omni telorum genere abundantes.  
Expugnasti urbes natura et arte munitissimas: ut de aliis  
sileam, tantum armorum de ipsa Granata metropoli Mauro-  
rum detraxisti, quantum vix ex ipsa Carthagine quondam  
sustulere Romani, quando aequis viribus, uter populus orbi  
terrarum imperaret, vario Marte certavit, quod magis admi-  
rari valeam, quam explicare sermone. Non facile dixerim,  
quanto gaudio Italia, praesertim nostra Florentia exultarit,  
communemque merito victoriam existimavit, nec publice  
solum sacris lustris deo sunt redditae gratiae, quod quidem  
magnifice factum est, sed et privatim non modo tui, qui apud  
nos peregrinantur, mercatores, verum cives nostri certatim  
diem solemnem celebravere mira utriusque sexus devotione.  
Accedit ad laudem tuae maiestatis uxor tua, Isabella, iustitiae,  
prudenter ac religionis unicum et clarum exemplar, socia  
certaminis, foris ac domi pariter desudavit, quae diluit sordes

haereticae foeditatis, ut integra fides Christo servaretur. Haec 8  
 quanquam magnifica sunt circum lateque fama diffusa, ta-  
 men, nisi monumentis litterarum mandentur, possent citius  
 interire. Proinde nemo tam Musis est inimicus, qui sua non velit 9  
 egregia gesta a poetis celebrari. Quod Alexander ille Magnus  
 testatus est ad Achillis tumulum fortunatum appellans iuve-  
 nem, qui tantum suae laudis habuerit praeconem; laborum  
 merces et virtutis paemium sempiterna gloria perhibetur. Nos 10  
 vero, qui ab ineunte sumus aetate non mediocriter in hac  
 carminis exercitatione versati, non potuimus in tanta laetitia  
 tacere, licet strepentibus curis nihil otii nobis relinqueretur et  
 id in Magni Francorum regis Caroli gestis consumeremus,  
 tamen, ubi tua, Christianissime princeps, facta nobis innotue-  
 runt, negotiis omissis paulumque Carolo seposito Ferdinandi  
 et gloriosissimae Isabellae tuae panegyricon scripsi opuscu-  
 lum in duobus libris divisum, in quo apparatus et alacritas  
 tuorum claraeque victoriae continentur poeticis magis di-  
 stinctae figuris, quam sit rerum series et ordo servatus, quia  
 poema, non texebam historiam cupiebamque in recenti victo-  
 ria aliquo nostri ingenioli munusculo tibi tanto terrarum inter-  
 vallo gratulari, quod fore tantae maiestati non opinor ingratum.  
 licet disertissimi viri et prosa et versu res tuas illustrant,  
 tamen, nescio, quo pacto fama, quae latius et a pluribus pro-  
 pagatur, solet esse iocundior. Quod si magnitudini rerum su- 11  
 mus impares, nec tantum nobis roboris inest, nec eloquentiae,  
 sum tamen enixus ingenium studio superare, quantum vero  
 profecerim, sit aliorum iudicium. Sin tuae maiestati me non 12  
 displicuisse cognovero, si quid ingenii mihi est, si qua carmi-  
 nis exercitatio, Hispaniensi gloriae desudabit. Unum supplico,  
 ne prius excludatur opusculum meum, quam plectum iudi-  
 cetur, an regia bibliotheca condatur.

### *Praefatio II.*

#### *ad Isabellam gloriosissimam Hispaniarum reginam.*

Non sum nescius, Isabella, quantam scribendi molem 1  
 susceperim multosque fore suspicer, qui me temeritatis accu-  
 sent, qui maiora viribus meis sim aggressus. Tantaesiqui- 2  
 dem res gestae tuae sunt, ut egregia magis ingenia exercean-  
 tur, quam magnitudinem earum scriptis suis possint aequare,  
 quas potius mirari mihi, quam liceat explicare. Proinde non 3  
 fretus carminis tenui dexteritate, sed Christi favore confisus,  
 qui fecit rudem Davidem ex pastore eximium poetam,

Accingar, regina, tuos celebrare triumphos.

Ubi enim victoriae tuae denuntiatus est gloriosus eventus, 4  
 quanta felicitate, sapientia, iustitia, religione domi forisque

tot annos imperium rexeris, exprimere non possem, quam incredibili paene furore exarserim illa mandare monumentis, quanquam publicis et privatis curis distentus exiguum temporis habeo Magnusque Carolus in manibus est. Nactus tamen 5 otii paululum intermissoque poemate prope consummato tuarum Hispaniarum apparatus, Granatae gloriosam expugnationem sum exorsus, quod bellum pro Christi religione non minus acriter, quam feliciter cum Saracenis gessisti. Panegy- 6 ricon tuarum laudum duobus libris expressi non servata ad unguem temporum serie, quod proprium est poetarum. licetque illis longius evagari. modo non discrepent veritati et, quod nuda narrat historia, hi figuris, numeris, ac splendore illustrent decenterque evariant, quae potius a me tentata, quam fatcar esse perfecta. Utinam tuus viveret Geraldinus vates 7 egregius, cupiebatque videre ac propediem futurum pro comperto credebat, ut hoste fortissimo superato ab omni foeditate utranque purgares Hispaniam, ut totus occidens per te Christi nitorem indueret. Iam mente tunc moliebatur Anto- 8 nius stilo grandiori tuas ordiri victorias meque non torpentem tanto. sed oneri diffidentem excitabat asserens, quod me minime laboris nec poeniteret industriae. Ad hoc me cives mei et 9 mercatores complures impulere, qui de Saracenorum eversione tibi publice ac privatim gratulantes diem festum nostris annalibus celebravere. Quam ob rem nostris heroicis multa bre- 10 viter perstrinxi, quae post aliis memoranda relinquo, quin, si vita superstes mihi fuerit et id ubi cordi esse praesensero, maiori volumine opus texetur. Munusculum interim meum. 11 supplico, ne spernas, nec inspicias. quid quantumque sit, sed qua sit mente studioque elaboratum. Interea pro maiestate tua 12 pro invictissimo coniuge tuisque liberis tota Christiana res publica precibus ad deum fuis est occupata, ut propinquam Libyen prospere ac feliciter aggrediaris et, quicumque Christo est hostis, tuis victricibus armis opprimatur. Quod speramus 13 futurum divina freti clementia ac tuarum virium singulari virtute.

---

## PANEGYRICON

### AD FERDINANDUM REGEM ET ISABELLAM REGINAM HISPANIARUM DE SARACENAE BAETIDOS GLORIOSA EXPUGNATIONE.

#### LIBER I.

- Gaudeat alma fides, crucifixi sacra propago  
Exultet, felix laetetur Hiberia: Tandem  
De caelo plausit niveis Victoria pennis.  
Maumetti deleta lues omnisque nefandi  
5 Sentina erroris Libýcas secessit in undas.  
Occiduas demum vidit sine sordibus urbes  
Luciferis sol laetus equis vultuque sereno  
Extremos adiit, purgata cubilia, Gades.  
Da, pater omnipotens, caeli terraeque creator,  
10 Crescat ut ingenium, maioresingere vires,  
Christe potens rerum, iam te dimisimus Evam,  
Liquimus obscurum Cirrhaei daemonis antrum.  
Fas mihi Christiparae, mea numina, virginis aram  
Amplecti et certum divae sperare favorem.  
15 Magnanimi interea sileant victricia Carli  
Bella mihi longo nondum perfecta labore.  
Fert animus magnos regis celebrare triumphos  
Ferrandi sociaeque simul Martisque torique  
Gesta Sophocleo reginae ornare cothurno.  
20 In dubio est, seu pace magis, seu clarior armis,  
An morum probitas, an sit sapientia maior,  
Officiumne pari virtute exercet utrunque.  
Impia pestiferi iam dudum secta tyranni  
Foedarat miserum sceleratis legibus orbem,  
25 Exitiale nefas Arabum prorupit ab oris,  
Romanos regeret victrix cum Graecia fascas  
Ac rerum Heraclius summas tractaret habenas;  
Tartareis tunc atra lues emersa lacunis  
Latius ac serpens tanquam contagia morbi  
30 Apprendit Syriam et Nilum Libyenque propinquam  
Moxque freti tranans celeri compendia cursu  
Non procul Herculeis vicinas Gadibus urbes  
Corripuit pestis. Pudet enarrare, quot annos  
Christicolum in medio erroris possederit arcem  
Prona voluptati, quanquam laxavit habenas,  
Gens effrena, tamen longe est acerrima bellis,  
Seu densos cuneos invadit comminus ense,

- Sive equitans certas Parthorum ex more sagittas  
 Torquet, seu iacta funda ferit eminus hostes.  
 40 Nec mirum, didicit vicinos inter Hiberos  
 Pugnare et capta sic aevum ducere praeda.  
 Ter deni longa serie per saecula reges  
 Litoreas magnae tenuerunt Baetidos oras  
 Granataeque illic urbem posuere superbam,  
 45 Quae caput imperii et Saraceni nominis horror.  
 Iura dabat populis Christi cultoribus hostis,  
 Sacrilego ritu temeravit virginis aedes.  
 Nec quondam centum longe clarissima portis  
 Tot bellatores habuit Nilotica Thebe,  
 50 Quot solitae in bellum Granata erumpere turmae  
 Et quater hostiles magnis terroribus urbes.  
 Hanc nunquam potuit delere Hispania labem,  
 Acre genus licet est hominum duroque labori  
 Assuetum et vitam, quam longa est, transigit armis,  
 Attamen invicti tenuerunt oppida Mauri,  
 Quae cepere semel, nunquam expugnavit Hiberus.  
 Haecenus occidui meruerunt crimina regni  
 Et neglectus honor spretique iniuria Christi,  
 Impius ut sacri Maumettus dogmatis hostis  
 Cresceret effundens late, velut hydra, venenum.  
 Sed deus hanc belli molem tantumque triumphum  
 Invicti tribuit peragi felicibus armis  
 Christicolum regis, donec duo lumina torvae  
 Iustitiae et veri cultores numinis ambo  
 65 De caelo lapsi Ferrandus et inclvta coniunx  
 Sordibus eluerent primum gentilibus urbes  
 Infectas. Varia sub religione latebat  
 Illuvies hominum, crucifixi nomine quidam,  
 Re Iudaeus erat: nec gens est foedior ulla,  
 70 Pars Veneris primas horas ritumque propinquae  
 Haereseos fictaque deum pietate colebat.  
 Haec scelerum exquirens curvis portenta latebris  
 Regina insequitur; ferro flammisque trucidat  
 Indicitque diem, qua sordes eluat omnis.  
 75 Immundum foedumque pecus scelerata propago.  
 Rex quoque Ferrandus divino percitus oestro  
 Purgabat patriae delicta domestica terrae.  
 Ut quondam celso Sinae de vertice Moses  
 Desiliens fregit tabulas iratus et ense  
 80 Arrepto turbam, quae fusum oraverat aurum  
 Proque deo vitulo supplex erexerat aram,  
 Delevit. iustam ut placaret numinis iram.  
 Arripere fugam, quos non consumpserat ignis.  
 Migravere omnes, quos non confoderat ensis,  
 85 Pars ad vicinos hostes et Tunetis urbem

- Enavit positoque metus sine tegmine Christi  
 Moribus et lingua Iudaea apparuit omnis.  
 Pars Italas oras longis petiere carinis  
 Ac tanquam morbus Romana per oppida serpit,  
 90 Hellespontiacas pars plurima fugit ad undas  
 Et veteres ritus antiquae legis et umbram  
 Amplexa evomuit Christum recutita caterva.  
 Postquam tam dirum patriis Ferrandus ab oris  
 Atque Isabella nefas telo flammisque fugarunt,  
 95 Protinus invitant populos sanctumque senatum  
 Magnanimosque duces: nec fit mora, protinus omnis  
 Confluxit coetus magni ad praetoria regis.  
 Atque ubi suspensi fecere silentia linguis,  
 Iustitiae fulgor, solio rex infit ab alto:  
 Hesperiae proceres, nostri fiducia regni,  
 Gens dilecta deo, gens invictissima bello,  
 Quid facimus residues? Quo nos spectavimus usque  
 Ritibus, heu, sacris populum frenare rebellem  
 Et procul Europa Maurorum avertere turmas.  
 Proh pudor! ante oculos, quotiens sol nascitur, hostem  
 Errare et magnis Granatam implere rapinis  
 Cernemus nurbusque Arabum famulentur Hiberæ  
 Inque diem gliscente malo patiemur inulti  
 Ditari Mauros, abigi de litore praedas,  
 110 Audire in Christum foedae convicia linguae.  
 Maumettana manus tot nobis abstulit urbes,  
 Bis quater centum quas victrix possidet annis,  
 Ut linguam et patrios mutarit Hiberia mores,  
 [Romanos ritus Arabum praeverterit error,]  
 115 Sed nostra et regum forsán delicta priorum  
 In sincera fides et religionis honores  
 Polluti tantas merito peperere ruinas,  
 Quod si poeniteat scelerum, levioꝛe flagello  
 Corripit errantes superi clementia regis. —  
 120 Ponite corde metum, Christi placavimus iram,  
 Semina nequitiae patriis evellit ab oris  
 Regina et sacro fidei succensa furore  
 Impura haereseos labis portenta cremavit.  
 Ultima Maumettus vobis provincia restat  
 125 Vertenda, ut soli Christo referantur honores.  
 Quod si etiam certam manifesta pericula mortem  
 Incuterent, alacer quis non discrimen adibit,  
 Cum mors empyreum forti det praemia caelum,  
 Egregiam ut felix pariat victoria laudem.  
 130 At vos, cum numero plures et Marte probatos  
 Iustior induerit temerati numinis arma  
 Impetus, eventum iam nunc sperate secundum.  
 Nobiscum deus est, huius certaminis auctor,

- Certa salus igitur, praeda ingens, magna trophaea,  
 Immortale decus, quod nullo abolebitur aevo.  
 Vestra sit utilitas, mea cura laborque regendi,  
 Noctes atque dies vigilare ad commoda regni,  
 Extirpare malos et praemia ponere iustis;  
 Ipsa etiam nostros aequat regina labores.  
 140 Praecipitate moras, ut primo vere phalangas  
 Victrices auctore deo ducamus in hostem.  
 Dixit et ingenti gavis est regia plausu.  
 Mox proceres abeunt alacres et iussa facessunt.  
 Martia floruerit quanvis Hispania telis  
 145 Assiduisque aevum victrix contriverit armis,  
 Tunc tamen aspicias totam fervere tumultu  
 Martis et horrentes renovari incudibus enses.  
 Pars solidum incudit taurorum tergo ferrum,  
 Loricas alii nectunt ex aere trilices,  
 150 Ardentes poliunt galeas cristasque comantes  
 De torvo efficiunt variarum horrore iubarum  
 (Sit licet Hispanis cassis rarissima turmis.)  
 Spiculaque exacuunt chalybem scissura rigentem  
 Fraxineosque aptant nervis stridentibus arcus  
 Et gravidae telis resonant post terga pharetrae,  
 Lancea quin pennis et cuspidē fulget acuta.  
 Indomiti frenantur equi campoque volantes  
 Exercent, urgeſ cari praesentia regis.  
 Nec leve reginae nomen: nulla oppida cessant.  
 Ne fuga per pontum pateat, neve Africa possit  
 Praesidium ferre et fruges vectare carinis,  
 Instruit egregiam robusto milite classem,  
 Quae Malacae portum vicinaque litora servet.  
 Interea volucris denuntiat omnia lapsu  
 Ac maiora canit Saracenas Fama per urbes  
 Innumeras equitum turmas peditumque cohortes  
 Christiſolum armari totumque triremibus aequor  
 Consterni, iurasse duces telluris Hiberæ  
 Nomen et imperium totamque excindere gentem  
 170 Maumetti; diris quatiunt terroribus urbes,  
 Portenta haud dubiae populis manifesta ruinae;  
 De caelo tactae turres et culmina templi  
 Deiecta et lemurum simulacra horrenda per umbras,  
 Quae genti exitium lachrymosa voce canebant,  
 Crebrior et solito pestis regionis amoenae  
 Et proprii totiens demens discordia regni.  
 Quodque seges vanis miseros elusit aristis,  
 Ut neget innumerae victum penuria turbae. —  
 Concilium celebrant, ruit omnis Turdula pubes  
 180 Praeceptor, Alphamae primum rex inclytus urbis  
 Accepit trepidos et sic est farier orsus:

Cernitis, o cives, ventura pericula, quantis  
 Coniurata fremat telis Hispania ponto  
 Et tellure simul nos obsessura reclusos.  
 Ne nos confestim fruges atque arma paremus,  
 Ut tolerare famem longequae arcere pericla  
 Possimus. Veteres cingamus et aggere muros  
 Contra fulmineos bombos faucesque malignas  
 Vallis et aethereos praemisso milite montes  
 190 Firmemus, ne quos aditus et limen apertum  
 Castulo deprendat, nobis ut longior hostis  
 Existat, sic tutus ager praebebit aristas  
 Atque intacta dabunt suavem pomaria victum.  
 Per patrios ritus, nostri per sacra prophetae,  
 195 Per libertatem vestram vitaeque salutem  
 Obtestor properare: nocet differre paranda,  
 Principiis obstare licet.

Nec plura locutus  
 Mulleum regem rogat, auxiliaribus armis  
 Ut properet Martis nascentem extinguere flammam,  
 Mox haec Granatae accipient incendia turre.  
 Sic sua tecta peti, sua credat moenia cingi.  
 Nequiquam captis sociis sera agmina iunget,  
 Nec nisi deletis Mauris regina quiescet. —  
 Quin subito, Libycas, iubet, ut legatus ad urbes  
 205 Alter ad Aegyptum populosae Memphis ad arcem  
 Orator celeret soldani ad regia tecta,  
 Edoceat, quantis insurgat Cantaber armis  
 Christicola et quanto Mauris terrore minetur,  
 Ut Tartessiacis Saracenum numen ab undis  
 Et regnum evellat, cum nulla fidelior ora  
 Maumetto extiterit. Bellum commune parari,  
 Commune excidium. Neque enim contentus ab omni  
 Europa Mauros pepulisse invadet Eoos  
 Victor et excindet Solimon. Sic vovit Hiberus,  
 Religio quaecunque suo contraria Christo  
 Ut pereat, caeli crucifixo ut dentur honores,  
 Et faciet, nisi iam properatis advolet armis  
 Africa praesidiumque ferat Syriaeque cohortes  
 Aegyptique acies tantis conatibus obstant.  
 220 Nec mora fit dicto, conclamant, itur in arma.  
 Explorant putres muros fossasque profundas  
 Evacuant, capiunt saltus et robore firmant  
 Oppida, si qua labant, et stipant frugibus arces.  
 Quales post longam brumam iam vere tepenti  
 Exercentur apes per florea rura frequenter,  
 Excussum foliis nectar caelique liquorem  
 Venturae memores hyemis sub tecta reportant:  
 Pomiferos sic turba frequens Saracena per agros

- Excurrit, quam praecipitem metus urget amorque  
 230 Antiquae patriae, pueros iuvenesque senesque,  
 Matres atque viros nullo discrimine fasces  
 Lignorum ingentes frugumque alimenta videres  
 Longius ex agris humeris ad moenia ferre. —  
 Terruerant pavidos portenta horrenda deorum  
 Fatalemque diem certamque instare ruinam  
 Imperio et legi sortes cecinere tremendae.  
 Ast alacres contra et praesenti numine freti  
 Christicolae arma parant regisque exempla secuti  
 Religione prius mentes, quam corpora ferro  
 240 Imbuere et geminis nituntur viribus hostem  
 Enormemque notam terris depellere Hiberis. —  
 Nulla profanatis haesit victoria castris.  
 Dic, precor, alma dei genitrix, dic, virgo, supremi  
 Regina empyrii, quantis exercitus armis  
 245 Sudarit, da, virgo, novas ad carmina vires,  
 Nil ausim sine te.  
 Ferrandus, gloria Martis,  
 Iustitiae exemplum, sanctae pietatis imago  
 Primus init bellum, cui Castulo paret et omnes  
 Arragonum Siculaeque urbes Sardoaque tellus.  
 250 Proxima florentes duxit regina cohortes  
 Feminum transgressa decus, pars maxima belli  
 Inferior nulli regum pietate vel armis;  
 Excivit populos regnis Isabella paternis.  
 Filius at, quamquam vix pubescentibus annis,  
 255 Arma tamen sumit iuvenesque hortatur et ambit  
 Admirante patre et procerum plaudente senatu  
 Quadrupedem indomitum frenis et calce fatigat  
 Inque orbes flectit cogitque per arva volare,  
 Quanta patris tacitum subierunt gaudia pectus;  
 260 Sic olim magnum Pellaei regis alumnum  
 Bucephalum domuisse ferunt, cui regna Philippus  
 Non sat nostra tibi dixit, maiora parabis:  
 Indole non alia Hispani spes altera regni  
 Surgit, iam Libyes populis formido, Ioannes,  
 Teque Palaestinae trepidant horrentque parentes.  
 Cresce, puer, tenero iam nunc maturior aevo,  
 Principis egregii apparet prudentia rerum,  
 Per te religio est Christi effundenda per orbem  
 Latius et dirae frenanda superbia sectae.  
 270 Duxit et insignes equitum peditumque catervas,  
 Purpureum sacra qui portat fronte galerum  
 Cardineique apicis merito decoratus honore,  
 Gloria Mendotiae sobolis pariterque propinquus  
 Hispalis antistes phaleratum protulit agmen  
 275 Quique regit ditem Zebedei martyris aedem

Non pietate minus, quam bello fortis et armis.  
 Mille equites duxit duro sub Marte probatos  
 Misit et insignes bello Cantera cohortes  
 Traxit et armiferos ductor Calatrave maniplos  
 250 Et totidem fortis praefectus ab arce Leonis,  
 Dux quoque Medinnae turmas eduxit equestres  
 Invictosque viros Christi inflammatus amore  
 Contra Maumettum rapuit Limphantius heros,  
 Qui regit Herculeos maiori nomine Gades,  
 285 Affuit et plures sub se venere phalanges.  
 Tresque alas equitum rexit dux Martius Alvae,  
 Multa Placentinis dux agmina traxit ab oris,  
 Ipsa suo tribuit rectori Castulo turmas  
 Instructas armis, fortissima pectora bello,  
 290 Quin Biliana phalanx thorace insignis et arcu  
 Iuravit, nunquam nisi victo abscedere Mauro.  
 Hoc quoque promisit reginae Astorgius heros,  
 Nec non belligeris suffultus Morius alis  
 Accessit dominusque Ari, cui Castulo fortes  
 Exhibuit peditum cuneos, ad regia castra  
 Venit et auxilium pariter Beneventia pubes  
 Attulit et validis rector Zifontius armis  
 Regis iuvit opes iuvenesque Corugnius acres  
 Ad bellum movit galeisque insigne tremendis.  
 300 Impiger eduxit princeps Urognius agmen  
 Bellatorque Caprae, Saraceni principis horror,  
 Ensibus ac longis pedites exercuit hastis,  
 Qui volucres rapidis praeverunt cursibus auras.  
 Nec tu carminibus nostris indictus abibis,  
 305 Eglige, Tondilii sceptri clarusque vetustae  
 Nobilitatis honor, dudum suscepit ovantem  
 Te mea, dum transis laeto, Florentia, vultu.  
 Tu licet Aonio biberis de fonte liquores  
 Et tua Socraticis ornaris tempora chartis,  
 310 Tu quoque Bistonii nosti fera proelia Martis,  
 Sub duce te fortes bellum subiere cohortes. —  
 Praeterea multi insignes fulgentibus armis  
 Diversis venere locis gentesque ducesque,  
 Qui Sicorim potant amnem fontemque Sueri  
 315 Auriferumque Tagum Larnensisque incola saxi  
 Militiae assuetus, quam longa est, ducere vitam.  
 Nec Nova Carthago, quondam Phoenicia sedes,  
 Scipiadum statio, sumptis cessavit ab armis  
 Saldiniaequae omnes gentes Octanaque pubes.  
 320 At quid plura canam? Conspirat Hiberia tota  
 Non procerum iussu, precibus non concita blandis,  
 Sed tanquam ad certae ferretur praemia palmae,  
 Certatim ante diem Ferrandi ad castra cucurrit.

- Tantum reginae praeclarum nomen amatae  
 325 Religioque dei potuit laudumque cupido,  
 Ut dulci patria, natis, uxore, parente  
 Desertis tolerare nives et sidera Cancrī  
 Terribilemque optent invadere comminus hostem.  
 Aere merent nullo, solo sed regis amore.  
 330 Decrevēre lūem Saraceni abolere veneni  
 Aut pulchram Christi pro nomine quaerere mortem.  
 Convenere duces animisque et viribus omnes  
 Armati, quocunque velit regnator Hiberæ  
 Ducere telluris; procerum nec defuit unus,  
 Qui non ante diem regis venisset in aulam.  
 Sublimis postquam solio regina paterno  
 Arma repercusso longe radiantia sole  
 Utque simul turmas alacres rex vidit et omnem  
 Hesperiam tacito poscentem pectore bellum,  
 340 Ne qua mora impediat coeptum, sic ore locutus:  
 O genus electum, fortissima pectora bello,  
 Quis nos Maumetti ritus abolere nefandos  
 Impurumque nefas nostris expellere terris  
 Fidimus, en animos vestros roburque paratum  
 Cerminus. Ite alacres, felicia sumite bella.  
 Nunc merito grates agimus maiora daturi  
 Praemia, cum coeptis aderit deus ipse secundis.  
 Quid moror? Ite citi, medio quae consita regno est.  
 Diripite Alphamam Saracenae Baetidos arcem;  
 350 Mox iter ad magnae Babylonis moenia tutum  
 Pandetur, tum litoreas incursibus urbes  
 Praedari Almeriam et Malacam expugnare licebit.  
 Nec plura. Insonuere tubae clangore sonoro.  
 Corripuere viam volucresque per arva cohortes  
 Ibant et laudes Christi regisque canebant  
 Reginamque suam ceu numen ad astra ferebant.  
 Hispani interea praenuntia Fama tumultus  
 Maurorum excierat populos celeresque manipuli  
 Praemissique equites servabant litoris oras.  
 360 Ut vexilla procul viderunt regis Hiberi  
 Victricisque crucis rutilantia signa per auras,  
 Maumettana phalanx paulo conterrita cessit,  
 Ni dictis Anemar ductor firmasset amaris:  
 Quo fugitis? telum nondum contorquet et enses  
 365 Christicola enudat. Tanti quae causa pavoris?  
 State, viri, firmate gradum, non terga, sed ora  
 Sunt hosti vertenda: Alphamam credite muros  
 Granatae. Hic belli moles, hic impetus omnis  
 Sistendus, donec coepto delusus inani  
 370 Expulsusque petat patrias inglorius oras  
 Cantaber; — et vanos nunc nunc prosterne furores.

Miles ait stimulisque urget pungentibus armos  
 Quadrupedis teloque Degum transfixit acuto  
 Mendotiae claro stirpis de semine cretum.  
 Hoc ducis exemplo Saracena accensa iuventus  
 Crebra procellosae iaculatur grandinis instar  
 Spicula, mox stricto propius mucrone cohortes  
 Irruit Hispanas, sed non Astorgius heros,  
 Nec Medinneus retro secessit Alonsus;  
 380 Regius omnis eques medius prorupit in hostes.  
 Non secus Aeolii patefacto carcere montis  
 Ventorum vis atra furit caelumque serenum  
 Nubibus obscurat, vertit mare, sibilat aer,  
 Decussae strident violento turbine silvae:  
 385 Regia sic primos deiecit turma furores.  
 Nec mora, nec requies datur, urget Martia pubes  
 Insistitque ferox Mauris ductore perempto  
 Perque agros omnes Saracenum sternitur agmen,  
 Praecipiti cursu pauci elabuntur ad arcem.  
 390 Insequitur victrix non tardis passibus ala  
 Reginae et portas Alphamae cuspidе pulsat  
 Disquirisque aditus urbis murosque minores,  
 Qua scalis penetrare queat, frendensque minatur  
 Exitium, stabulis clausis ceu turba leonum  
 Mane urgente fame discurrit ovilia circum,  
 Unguibus ac rabido frangit magalia morsu;  
 Stat mutum pecus et tuto munimine valli  
 Ostia non audet pastor reserare molossis:  
 Sic Maumettani pedites in turribus altis  
 400 Missilibus certant, neque enim se credere campo,  
 Nec rursus stricto tentant concurrere ferro,  
 Subsidium frustra expectant, nam protinus omnes  
 Christicolae densa muros cinxere corona.  
 Nam trabe ferrata portarum robora frangunt,  
 405 Ardua fulmineis nunc scindunt moenia bombis,  
 Pars tollunt altas castella aequantia turres,  
 Decutiunt altis stantes pro moenibus hostes,  
 Noctes atque dies alternis viribus urbem  
 Oppugnant, instant procures, praesentia regis  
 410 Urget et impellunt speratae praemia palmae  
 Conspectu in tanto certatim ascendere turrim.  
 Saxa, sudes, flammas protecti umbonibus arcent;  
 Urbs triplici quanquam muro est munitaque fossis,  
 Ut mos est Mauris, paene insuperabilis hosti,  
 415 Cuncta tamen Martis superat discrimina virtus.  
 Portarum vectes et claustra morantia frangit,  
 Irrumpit victor densis exercitus armis  
 Alphamam, luctus, caedes clangorque tubarum.  
 Auditur, saevis reboat clamoribus aether:

- 420 Sic olim captam Poeno irrumpente Saguntum  
 Exortus fremitus caesorum urbisque ruina,  
 Obvia turba cadit, numerosa cadauera passim  
 Sternuntur. Celsa vexillum attollitur arce  
 Ferrandi dirumque nefas et templa profana  
 425 Emundat signumque crucis victricis in aede  
 Suspendit devota cohors lachrymisque profusis  
 Prona salutiferi exorat mysteria ligni.  
 Inde ubi solemnes sacrorum ex ordine pompas  
 Hispani fecere pii votisque solutis  
 430 Educunt acies ac proxima quaeque metendo  
 Litoreas crebris populantur caedibus urbes  
 Ac pelago externas excludunt classe phalangas.  
 Oceani primum conspersam fluctibus arcem  
 Et ponto et terra cingunt et amoena vireta  
 Diripiunt, vastant villas et pingua rura  
 Expoliant: nullis industria maior arandi,  
 Tanta nec arboribus datur usquam cura serendis,  
 Baeticolas quantam referunt posuisse colonos,  
 Quin etiam adiuvit placidi indulgentia caeli  
 440 Et natura soli et passim de colle perennis  
 Ductilis humor aquae fecundos irrigat hortos. —  
 Cedat odoratis nutrix Aeneia pomis  
 Malaque pervigili Hesperidum servata dracone,  
 Alcinoi et biferi cedant pomaria Paesti. —  
 445 Haec Arabum extremis demissa colonia terris  
 Excoluit longa annorum per saecula pace,  
 Dum se Christicolae fodiunt civilibus armis,  
 Maumettana lues urbes infecit Hiberas  
 Permittente deo. propter delicta priorum  
 450 Discordesque animos invisa potentia crevit.  
 At postquam vicos castellaque plurima ponti  
 Ferrandus cepit, Malacensem protinus arcem,  
 Conventum portumque maris, facile unde carinis  
 Est iter in Libyen, victrix regina secundo  
 Marte premit. muros numero milite cingit,  
 Qua spectat terram, qua vergit ad aequoris aestum.  
 Per mare rostratae currunt servantque triremes,  
 Ne fugere hinc possint frugesque inferre carinis,  
 Quin etiam turres celsis de puppibus urgent  
 460 Sulphure fulmineo, telis quoque moenia nudant.  
 Bactrorum circum sic prima Semiramis arcem  
 Pugnavit regnoque viri coniunxit Eoos:  
 Spumanti sic fertur equo regina per agmen  
 Fulgenti insignis clypeo lustratque tremendis  
 465 Moenia luminibus facilesque explorat in urbem  
 Accessus, nec voce magis, quam rebus ovariantes  
 Incendit pedites maioraque viribus audent.

- Noctes atque dies terra pelagoque premuntur;  
 Nec mora, nec requies Malacensibus ulla dabatur,  
 470 Quos magis urgebat penuria saevior hostis,  
 Ut mallet ferro, quam mox sine laude necari.  
 Dum victor Malacam densis exercitus armis  
 Obsidet inque dies Saracenos artius urget  
 Imperiosa fames, Malacensis Mucius arcem  
 Deserit et parva sica sub veste latenti  
 Castra inimica petit venientique innuit hosti  
 Enarratque fugae causam regemque requirit,  
 Cui reserare cupit, quanto in discrimine cives  
 Versentur, latebrasque urbis faucesque malignas  
 480 Pandere, quis tuto irrepat Celtiber in arcem.  
 Tunc Gaditanus, qui primus in aggere custos  
 Castrorum astabat, vinoque ciboque refecit  
 Confectum macie et pallentem morte futura  
 Ad regem ducit. — Quid enim timuisset inermem  
 485 Concipere et tantas moliri pectore vires? —  
 Aestus erat mediusque dies, cum Syrius agros  
 Torret anhelantes; rex et regina quieti  
 Se dederant thalamoque ambo interiore iacebant.  
 Vestibulo in primo coniunx ducis inclyta gemmis  
 490 Ac Lusitanus princeps insignis et auro  
 In solio iuxta recubabant limina regis,  
 Quos ubi conspexit, furiis incensus et ira  
 Aggreditur Maurus. strictum rotat impiger ensem  
 Obstantemque abigit nudo mucrone cohortem,  
 495 Prostratos frustra repetito vulnere caedit;  
 Reginam et regem nequiquam credidit esse.  
 Venantum ut densa pardus circumdatus ala  
 Irruit in gladios venabulaque ore cruento  
 Rodit et appresso vitam deponit in hoste:  
 500 Sic cecidit fossus numeroso Mucius ictu.  
 At deus a tanto eripuit discrimine regem,  
 Ut foret invictus temerati numinis ultor.  
 Acrius arma capit Ferrandus et aurea coniunx  
 Per medios furibunda globos ad moenia tendit  
 505 Exclamans: Proceres, Malacensem excindite pubem,  
 Quae voluit nostrum per fraudem haurire cruorem. —  
 Tunc ruit impulsus furiali exercitus oestro;  
 Implentur fossae, muros turresque capessunt  
 Interiusque hostes ad tertia moenia pellunt  
 510 Crassaque ferratae perfringunt robora portae,  
 Irrumpunt magnis trepidam clamoribus urbem  
 Hispani et stricto inquirunt penetralia ferro,  
 Captiva horrendis innectunt colla catenis.  
 Sericae vestes, argenti pondus et auri  
 515 Et quicquid longa Mauri peperere quiete,

Egeritur, fidis replent custodibus arces.  
 Moxque profanatas Maumetti ritibus aras  
 Emundat castus caelesti thure sacerdos  
 Freudentemque sacris expellit daemona templis.  
 520 Rex ubi Ferrandus Malacam dicione subegit  
 Perfectisque sacris una Mavortia coniunx  
 Interiora petunt valido conamine regni  
 Oppida barbarici, saltus faucesque latentes,  
 Ne fraus hostilis coeptis obsistere posset,  
 525 Per iuga per rupes et saxa per invia dudum  
 Baeticola expulso celeres tenuere cohortes.  
 Inde, velut rapidis tempestas acta procellis  
 Prosternit segetem, populantur ditia rura,  
 Mox ipsam invadunt inopino turbine Battam,  
 530 Quae celso muro et fossis munita profundis  
 Praesidioque ferox valido rectoris Hiberi.  
 Arma retardavit, quanquam noctesque diesque  
 Hispani strictis peterent mucronibus urbem  
 Aereaque evomeret vastos bombarda molares  
 Crebraque letiferis striderent spicula pennis.  
 Non tamen obsessis cessit fiducia Mauris,  
 Quin ultro erumpunt portis et comminus enses  
 Destringunt ipsisque audent concurrere castris  
 Saepe lacessentes, quod, si violentius agmen  
 540 Christicolum urgerent sensim Battana relabens  
 Turma, nec effusis repetebat cursibus urbem,  
 Frumento et telis et forti milite princeps  
 Baeticola implerat Battam; quippe altera sedes  
 Robur et imperii Saraceni et ianua regni.  
 545 Stabant pro portis equites clypeataque pubes  
 Christicolasque procul crebris hastilibus arcet.  
 At matres humeris subvectant saxa trabesque  
 Et muros replent pueri innuptaeque puellae  
 Invalidique senes, tanquam in discrimine summo,  
 550 Tela sudesque vehunt, hortantur voce manumque  
 Armatos iuvenes, patriam ut tueantur ab hoste:  
 Cernite, qui casus nostris cervicibus instant,  
 Quae caedes victis, quae permutatio sacrae  
 Immineat legis? Nurubus famulentur Hiberis  
 Uxores vestrae? Vincti vos aere perenni  
 Servitio vitam graviolem morte feretis?  
 His accensa furit stimulis Battana iuventus;  
 Nec muros tantum et portas et castra tueri  
 Urbe procul, sed enim nudis mucronibus audet  
 560 Alipede effreno Hispanos tentare maniplos.  
 Ardua quin Battae vicini in vertice montis  
 Praesidium obsessis petraei numinis aedes  
 Praebuit, hanc muris cinxit Saracena propago,

Haec multos menses urbem defendit ab hoste.  
 Praeterea autumnus letali corpora morbo  
 Afflixit, nimio sive haec confecta labore  
 Sub dio pariter tolerabat frigus et aestum,  
 Seu crudus manans de rupe et noxius humor  
 Morbida corripuit violento viscera tabo.  
 570 At pius aegrotis princeps statione remota  
 Exhibuit gratis medicamina. pavit egenos,  
 Nec puduit regem accensum pietatis amore,  
 Ut verum Christi cultorem instarque parentis,  
 Solari afflictos et visere saepius aegros.  
 575 Letiferae quanquam serpant contagia pestis  
 Vulgaturque magis contactu luridus humor,  
 Nam plures dirus morbus, quam perculit ensis,  
 Rex tamen instar erat medici miserosque fovebat.  
 Orta soror bis ter renovarat cornua Phoebi.  
 Iam glacialis hiems Alpinis castra pruinis  
 Urgebat gelidoque opplebat vellere montes,  
 Ex quo Battanas obsedit Castulo turres.  
 Quem non amovit morbus, non frigus et aestus,  
 Nec velox totiens inopinis cursibus hostis  
 Reppulit Hispanos: pro Christo ponere vitam  
 Et caelum vera decrerat laude mereri. —  
 At regina novis remeans in castra manipulis  
 Hostibus incussit terrorem, gliscit Hiberis  
 Ardor et optatae renovatur gloria pugnae.  
 590 Educit structas acies, strepit aere canoro  
 Buccina terribilis, clamoribus intonat aer.  
 Ipsa sed antevolans alacres Isabella phalangas  
 Nunc prece, nunc dictis virtutem accedit amaris.  
 Sic quondam gelidum prope Thermodonta puellas  
 Penthesilea trahens peltatas agmine magno  
 Bistonios populatur agros qualisque tremendis  
 Vallibus inclusum Cyrum Persasque potentes  
 Ulta necem nati Scythiae regina peremit:  
 Talis apud Battam Ferrandi Martia coniunx  
 Consilio et dextra populum inflammabat in hostem.  
 Extimuit Saracena manus, ne concitus urbem  
 Christicola irrueret victor, ne caede nefanda  
 Perderet aut longis vinciret colla catenis.  
 Ante oculos Malacae strages captivaeque turba  
 Venerat et turpis mentes invaserat horror.  
 Ergo legatos mittunt pactaque salute  
 Oppida reginae triplici circumdata muro  
 Pandunt et custos aperit victoribus arcem.  
 Mitius hic actum est, neque enim desaevit Erinys,  
 Nec Maumettano roravit sanguine mucro.  
 Atque ubi divino purgavit rore sacerdos

- Delubra et cunctis posuit victricia templis  
 Signa crucis sacraque agnus caelestis in ara.  
 Hostia viva. deo est flammis caritatis inustus.  
 Tunc rex insigni pariterque Isabella triumpho  
 Intrarunt Battam procerum comitante phalange.  
 Qualis Phlegraeae victor post funera pugnae  
 Iuppiter Idaeas urbes et regia luno  
 Sublimi in curru valvis penetrarat apertis,  
 620 Pone sequebantur varia sub imagine divi  
 Victorisque Iovis laudes atque arma canebant:  
 Haud secus Hispani reginam ad sidera tollunt  
 Gestaque Ferrandi Smyrnaeo digna furore  
 Concelebrant. postquam ceperunt moenia Battae.  
 625 Imperii Babylona putant caput esse peremptum,  
 Et merito. validum fuerat munimen et obiex.  
 Granatae nunquam interius licuisset adire.  
 Si non Battanum fregisset robur Hiberus.  
 Interea horrendis stridebat bruma procellis.  
 630 Abdita quando feras celat spelunca latentes;  
 At non in luxu captiva per oppida segnes  
 Hispani ducunt hiemem: sed Martia pubes  
 Indomitos exercet equos silvasque per omnes  
 Quaerit apros reparatque novas ad proelia vires.  
 Quo propior palma est et pulsi gloria Mauri,  
 Acrior hinc stimulus turmam ad certamina raptat. —  
 Vixdum vere novo mitescere coeperat aer.  
 Cum subito erumpit nitidis exercitus armis  
 Et nova Ferrandi tollunt vexilla per auras  
 640 Reginamque omnes proceres uno ore canebant:  
 Sic olim raris coluit sua saecula ludis  
 Roma potens rerum: Phoebum castamque Dianam  
 Alternis cecinit rhythmis intonsa iuventus.  
 Interea Libye horrendo commota pavore  
 Ut Malacam et Battam sensit cecidisse superbam,  
 Granatae in magno regnum versare periclo,  
 Nequiquam sero parat auxiliariis armis  
 Maumetti imperium et legem fulcire ruentem.  
 Quin etiam miseros Afros civilis Erinys  
 650 Concussit. quotiens demens discordia reges  
 Evertit patruumque nepos natusque parentem  
 Fodit et occisis tellus inarata colonis  
 Horrendam sine more famem causamque malorum  
 Praebuit et Libyes tenuit penuria gentes,  
 655 Trans freta ne celeres posset Gaetulia turmas  
 Iungere Baeticolis bellumque arcere tremendum. —  
 At rex Ferrandus pedites equitesque feroces  
 Urbibus educit, petit arva hostilia, qualis  
 Emicat ad solem sublato corpore serpens

660 Exutus veteri spolio iam vere tepenti,  
 Exit in arva ferox et sibilat ore trisulco:  
 Talis in attonitos alacer rapit agmina Mauros  
 Hesperiae extremae princeps et regia coniunx.  
 His comes insigni natus virtute Ioannes  
 665 Haeret et ante annos rerum prudentia velox  
 Eminent.

I. supera Iliacam Pyliamque senectam,  
 Regna tibi, venerande puer, maiora paternis  
 Debentur, caeli multum indulgentia favit.  
 Quid non sperabis natus felicibus astris.  
 670 Nutritus castris, crucifixi numine tutus?  
 Si pater et genetrix Maumettum extrudit Hiberis,  
 Tu Libycis terris Saraceni opprobria caeni  
 Purgabis. Magnos iam nunc imitare parentes.  
 Egregiam accendant exempla domestica laudem.  
 Quadorum ut rector turmas instare tremendas  
 Victricesque in se novit properare cohortes,  
 Diffusus rebus propriis secessit ad oras  
 Tunetis. externo patriam si milite posset  
 Servare aut sceptrum Afrorum discordibus armis  
 680 Arripere. Incassum Maurus speravit utrunque.  
 Quis tam mentis inops, alieno ut tradat habenas,  
 Qui sua nescierit superatus iura tueri?

Interea Quados circumdant agmine denso  
 Christicolae proceres et crebris moenia bombis  
 685 Et tecti querna fodiunt testudine moens.  
 Evolat ante omnes primo sub flore Ioannes  
 Alite vectus equo, sine casside, vertice nudo.  
 O fortes proceres, — clamat, — dirumpite portas,  
 Ante meos oculos scalis ascendite turres.

690 Cepistis Battam, Malacensis stragis acervus  
 Roboris est testis, Saracenis urbibus horror.  
 Quid sperent cives? Fugit rex ipse relicta  
 Urbe vagus, trepidant, nulla est fiducia clausis.  
 Haec vos Granatae victoria ducet in arcem.

695 Dixit et alipedis fodit calcaribus amos.  
 Primus ut hostilem stridenti cuspide portam  
 Figeret, at, quanquam genitoris gaudia pectus  
 Pertentant, revocat tamen invitumque retractat,  
 Praecipitet temere incautum ne gloria praecox  
 700 Martis et exponat corpus puerile periclo.

Tunc vero incubuere omnes, praesentia cari  
 Principis impellit coramque ostendere robur  
 Prodigia gens animae studet et discrimen adire.  
 Irrumpit vicum disruptoque obice valli  
 705 Invadit muros magno clamore secundos  
 Urbis et aereas festinat scandere turres.

- At cives, ne quid gravius paterentur ab hoste,  
 Supplicibus verbis veniam pacemque rogantes  
 Christicolis reserant portas urbemque domosque  
 710 Ac sese dedunt. Vetuit clementia regis,  
 Ne fieret caedes. neu res raperentur, et acri  
 Praesidium imposuit iussitque abolere nefandos  
 Maumetti ritus: haec prima et maxima belli  
 Causa fuit sanctam crucifixi extendere legem  
 715 Atque omnes alias Hispano a litore sectas  
 Pellere. Tam iusti quae voti gloria maior  
 Esse potest?
- Captis. Quadis vicina repente
- Oppida Fuscariae reginae iussa facessunt:  
 Litoreaekue omnis regio pulcherrima pomis  
 720 Paruit Almeriae, tenui quae vellere Seras  
 Vincit, odoratos malis Atlantidos hortos. —  
 Iamque ultro claves portarum Maura propago  
 Mittit et imperio reginae paret Hiberæ.  
 Occiduae tantum Babylonis curia restat  
 725 Frenanda, at quoniam paene insuperabilis urbs est  
 Innumeraeque manus Granatae moenia complent.
- Iam glacialis hiems canentibus arva pruinis  
 Opplerat longoque aestatis Marte cohortes  
 Defessae alternam visae spectare quietem,  
 730 Dum reparent alacres maiora ad proelia vires,  
 Provida Ferrandi statuit sapientia regis,  
 Ne qua per occultos calles alimenta ferantur  
 Obsessis, sperans paucis sic mensibus omnem  
 Consumi annonam et venturam aestate sine ullo  
 735 Marte capi. et, magno quod tunc discrimine caedis  
 Tentaret, tuta firmum in statione reliquit  
 Robur, ut observet vicini litoris oras,  
 Ne quod praesidium externum surrepat in arcem  
 Munitisque locis venientes arceat hostes,  
 740 Neu struat in campis acies, sed in aggere tuto  
 Baeticolum residens nullo terat agmine turmas;  
 Ipse autem repetit patriam victrice phalange  
 Purpureique duces altoque Isabella triumpho  
 Hispanas vehitur populo plaudente per urbes.

## LIBER II.

- Interea procures, saevit dum bruma procellis,  
 Convenere omnes Ferrandi ad regia tecta,  
 Hispalis urbs longe est celeberrima gentis Hiberæ,  
 Nomine nunc alio Sibia Magna vocatur,  
 7 Oceani refluxo quam gurgite pontus inundat;  
 Illic regifico ducuntur hibernia luxu.

- Filia regis erat plenis iam nubilis annis.  
 Moribus ac forma insignis de nomine matris:  
 Haec Lusitanum coniunxit foedere regem  
 10 Dissolvitque odium, quod tot durarat in annos;  
 Invicto regi princeps erat unica proles  
 Nomen avi referens, Edvartus, robore praestans.  
 Tam claro ut sponso, tam clara Isabella iugali  
 Nectatur vincolo. Sacris pepigere peractis  
 15 Legati et longo celebrarunt ordine pompas.  
 Nos quoque, Pimpleo madeat si lingua liquore  
 Intumeatque sacro maius mihi numine pectus,  
 Solemnes celebri referemus carmine ludos.  
 Dum nova purpureae fiunt sponsalia nuptae,  
 20 Tristia dum cessant brumali frigore bella,  
 Liberio loco felix Hispania gaudet. —  
 In medio est urbis fulva substratus harena  
 Campus, ubi innumerae possunt certare cohortes,  
 Ligneae quem gradibus cingunt subsellia miris,  
 Quae rex ornat pretioso tecta colore.  
 Sidoniis iterata vadis Ephyresque rubore.  
 Plurima vestis erat variis depicta figuris.  
 Undique pendebant sublimi aulea theatro.  
 Atque ubi dicta dies aderat, certaminis omnes  
 30 Confluxere duces gemmis auroque nitentes  
 Sublimes in equis tecti radiantibus armis.  
 Praemia victori suspenditur aurea cassis.  
 Nec mora fit, puro secessit ab aequore turba.  
 Hinc litui, hinc strepuere tubae clangore sonoro.  
 35 Tunc vero aspicias simulacra horrentia Martis.  
 Concurrere duces diversa e parte feroces:  
 Non maiore ruunt reserato carcere venti.  
 Hinc Notus, hinc Aquilo terram, mare, sidera verrunt.  
 Primus init pugnam rex pace insignis et armis  
 40 Spumanti subvectus equo galeaeque comanti  
 Tectus et ingenti connixus viribus hasta  
 Invicti ducis umbonem confodit aenum:  
 Sustinuit thorax letalem fulminis ictum,  
 Confracta est ornus, petierunt nubila frustra.  
 45 Hinc alii proceres infesta cuspide nixi  
 Certarunt sonuitque tremendis ictibus aether.  
 Nec tot scintillas Vulcanius egerit ignis,  
 Dum nudus cudit Brontes Tritonidos arma,  
 Quot tunc certantum galeae vomuere micantes.  
 Nec quisquam de plebe fuit, Proceresque ducesque  
 Horrida terribilis ludi simulacra ciebant:  
 Non sic saeva truces tentant certamina tauri,  
 Rorantes fodiunt inimicis cornibus armos.  
 Esse putes reges, phaleris ornatus et auro

- Omnis eques nitidis radiabat purpura gemmis.  
 Quicquid Erythraeae scrutator repperit undae  
 Concharum. fulvi quicquid Pactolus et auri  
 Egerit. Hispanis procerum radiabat in armis.  
 Non ita Persarum pretiosa opulentia regum  
 60 Indorumque nitet rutilans exercitus auro,  
 Hispalis ut dives phaleris fulgebat equorum.  
 Atque ubi perfecto primi certamine ludi  
 Ter quini in circum tauri erupere minaces.  
 Quos rabidae movere canes. quos egit in iram  
 65 Nudus eques gyro et flexis elusit habenis  
 Nequiquam cornu et minitantes lumine torvo.  
 Quadrupedem tanta velox moderatur Hiberus  
 Arte levem. quales Pisaeo e carcere quondam  
 Ad metam celeres referunt flexisse quadrigas:  
 Nec dociles sic Parthus equos Gaetulaque pubes  
 Memento regit. ut nutum Celtiber ad unum.  
 At regina trucum tolli spectacula ferarum  
 Iussit et Hispaliam proceres accersit in aulam.  
 Tectum ingens centum longis sublime columnis  
 Marmoreis stratum tegulis. Haec regia sedes  
 Milia multa virum spatio tenet ampla capaci.  
 Nec locus ullus erat, qui non tegetetur ab ostro.  
 Argenti multum fulvi licet esset et auri.  
 Materiam vincebat opus dapibusque paratis  
 80 Purpureos regina duces acceperit in amplis  
 Porticibus, solio residet rex altus eburno.  
 Expediunt niveam Cererem Bacchique liquorem,  
 Immortale merum famuli cratere reponunt  
 Gemmato pelagoque dapes silvasque per omnes  
 85 Quaesitae portantur aves, phoenicopterus ingens  
 Assaque cum pictis ales lunonia pennis  
 Extabat similis spiranti in lancibus aureis  
 Ismariusque Itys et variarum mille volucrum  
 Regifica pompa ponuntur fercula mensis  
 90 Ebosiumque melos, cannis educta madere  
 Crustula. nec posses agnoscere. copia maior,  
 An fuerit rerum lautarum pulchrior ordo.  
 Postquam exempta fames et dicta silentia linguis,  
 Egregias laudes ac magni regis honores  
 95 Reginae in primis fama super aethera notae  
 Cantat Apollinea doctus testudine vates,  
 Haere seos labe ut primum purgarit Hiberos.  
 Ut Christi causa Saracenum invaserit urbes,  
 Alphamam. Malacam. Tondam Battamque potentem,  
 100 Almeriam. Quados et centum ceperit arces,  
 Vertenda ut solum Granatae moenia restent.  
 Et canit Hispanos proceres, quos gloria mortis

- Evehit in caelum, qui pulsus undique Mauris  
 Aeternum peperere decus. Nec plura locutus.  
 105 Sidereis subito micuerunt atria flammis  
 Ac quinquaginta praestanti corpore nymphae  
 Reginam, quocunque ierit, comitantur euntem,  
 Sed forma et toto collo supereminet omnes:  
 Qualis hamadryadas Latonia virgo puellas  
 110 Et superat pulchras nivea cervice napaeas.  
 Ulla nec istarum Lucinae experta labores.  
 Quin sacra virgineus celebrat mysteria coetus  
 Et geminae semper genuflexae ad virginis aras  
 Praesentem exorant Christum, discrimen ut omne  
 115 Arceat et victo redeat Ferrandus ab hoste.  
 Noctes atque dies iugis haec oratio templis  
 Hispanas defendit opes et numina placat.  
 Solemnnes postquam celebravit Hiberia ludos,  
 Dimisit proceres vultu regina benigno  
 120 Muneribus laetos longe maiora datura,  
 Cum magnam occiduae Babylonis ceperit urbem.  
 Interea Saracena phalanx haud nescia belli  
 Venturum excidium metuens genus omne paravit  
 Telorum et scissos occarat vomere campos.  
 125 Omnibus addiderat praeceps calcaria terror.  
 Prona licet Veneri sit Maumettana propago,  
 Parca cibi tamen est suavisque ignara Lyaei,  
 Sedant poma famem, sitiendi sufficit unda.  
 Proinde manum celerem Granatae misit in arva  
 130 Ferrandus, segetem ut tenera succidat in herba,  
 Turdula ne proles venturam speret aristam.  
 Arboribus strages indixit, diruit hortos.  
 Hoc magis impavidos, quam bellum, terruit hostes.  
 Rex Baudillus erat, quo non prudentior alter  
 135 Imperium multos Granatae rexerat annos  
 Christicolumque diu regis versatus in aula  
 Noverat, Hispani sit quanta potentia regni,  
 Reginaeque animos pro religione tremencos  
 Extimuit, ne summa dies regnoque sacrisque  
 140 Maumetti instaret, cum tot castella, tot urbes  
 Ceperit et victor portis Ferrandus in ipsis  
 Pugnet et insultans casuram territat arcem.  
 Nequiquam auxilium Libyes Syriasque catervas  
 Et vanam expectavit opem, quin omnia vatum  
 145 Portendi exitium sectae cecinere nefandae.  
 At ieiuna fames saevis urgentior armis  
 Baudillum impulerat non aequo foedere pacem  
 Tentare et tacito bellum componere pacto.  
 Hoc ubi cognovit furiis Saracena iuventus  
 150 Incensa arma capit, petit atria regis et aulam

Obsidet excutiens, tanquam sit prodita, foedus.  
 Ast ubi per proceres rabies sedata furentis  
 Plebis et horrisonae paulum siluere catervae,  
 Tunc rex purpureo solio sic inquit ab alto:

- Non hoc nostra fides, cives, charitasque meretur,  
 Scitis enim, scitis, quotiens discrimina primus  
 Pro patria subii et nostrae pro numine legis  
 Nil nisi vestra salus nostro versatur in ore,  
 Ut vos incolumes longo feliciter aevo
- 160 Degatis. Vigili ducuntur pectore noctes,  
 Nil intentatum liqui; nil Africa vobis,  
 Nil dedit auxilii soldanus. Litoris arces,  
 Almeriae et Malacae portus iam possidet hostis.  
 Nullum post Battam tutum munimen habemus,  
 Hoc tenet Hispanus. vix sola haec moenia restant  
 Haec licet horrendis victor circumpremat armis  
 Celtiber, nunquam tamen haec capienda putavi,  
 Cum robur norim vestrum spectataque bello  
 Pectora, sed frugum duris in rebus egestas,
- 170 Imperiosa fames omni violentior hoste  
 Territat: hoc timui, non proelia Martis Hiberi.  
 Respuitis postquam non aequo foedere pacem  
 Et sedet hoc animis tentare pericula belli.  
 Praecipitanda mora est. Duce me vel milite signa  
 Tollite. Christicolas stricto mucrone petamus.  
 Aut hic obsessam tutabitur impetus urbem  
 Aut si fata vetant et inevitabile tempus  
 Imperio nostro et Saracenis imminet aris.  
 Ne macie attriti lentis moriamur in umbris,
- 180 Neve instar pecorum misere iugulemur inulti.  
 Dedecus hoc vestris, cives, propellite dextris,  
 Ut pariter fuso victoria sanguine constet  
 Lugeat et nostra victrix Hispania clade.
- Nec plura. Erumpit portis armata iuventus.
- 185 Innumeri pedites, quibus arcus et aeneus umbo,  
 Ensis et horriferis aderant hastilia pennis  
 Milleque fulminei generis tormenta vehebant  
 Scutatique equites, vitam qui ducere rapto  
 Christicolum assuerant, violenti turbinis instar
- 190 Infestis hastis Viliena ad castra volabant:  
 Non ita praecipiti sinuosa Druentia cursu  
 Imbribus Alpinis per saxa sonantia fertur  
 Avulsasque ornos Rhodani devolvit in undam.  
 At dux Hispanus tuta statione furorem  
 Excipiens rabiem Mauri frustratur inanem:  
 Atque ubi Sidonii micuerunt cornua tauri,  
 Canus et ex altis defluxit montibus humer.  
 Tunc rex Ferrandus ter denas Marte probatas,

- Quae binis lustris claros peperere triumphos  
 200 Vincendo, ducit Saracena in proelia turmas  
 Fulmineique duces, quos caelo gloria Martis  
 Sustulit. in dextram iurarunt regis Hiberi  
 Non prius ad patriae redituros limina terrae,  
 Quam rex invictam Granatae everterit urbem  
 Sacrilegumque nefas legis deleat iniquae.  
 Accelerant alacres et paucis castra diebus  
 Colle locant tute non longe a turribus altis.  
 Educitque acies et purum erumpit in aequor  
 Christicolum princeps, pugnandi ut copia detur  
 210 Hostibus, et torvo sonuit fera buccina cornu.  
 Nec rex Baudillus pugnam detractat et ultro  
 Impellit magno frendens clamore maniplos:  
 Stringite nunc gladios, rapite arcus, fundite tela,  
 Hostis adest, vestrae legis destructor et urbis.  
 Moenia nequiquam, quos non defenderit ensis,  
 Servabunt; animis opus est et robore firmo.  
 Principium nostrae forsán lux ista salutis  
 Aut erit exitium. Moriamur in arma ruentes!  
 His agitur stimulis praeceps in proelia proles  
 220 Turdula; dant vires metus, ira et conscia virtus.  
 Ac magno clamore ruens decurrit in hostem  
 Hispanus pariter densis exercitus hastis:  
 Torrenti similis Saracenum fertur in agmen.  
 Concurrere acies animis et viribus aequis.  
 225 Hos Christi alma fides, hos desperatio raptat  
 In mortem maluntque mori, quam vertere terga.  
 Per medias acies reges horrore feroci  
 Discurrunt, stricto rumpunt densa agmina ferro.  
 Quisque suum populatur iter: sic Troia circum  
 Aequora fulmineus Teucros sternebat Achilles,  
 Parte alia Danaos scindebat Martius Hector.  
 Hinc Maurus princeps, hinc instat rector Hiberus,  
 Nunc voce hortatur, nunc claris dextera factis  
 Accendit socios primique pericula tentant  
 235 Purpurei proceres. Dubio certamine Mauros  
 Ad neutramque diu flexit victoria partem,  
 At Gaditanus medio dux agmine pugnans  
 Baeticolum innumeram sternit sine nomine turbam.  
 Ceu stimulante fame Libycis egressus ab antris  
 240 Rugit et horrendo vaccas invadit hiatu  
 Mane leo; sic acer equum direxit in hostes  
 Herculeae ductor gentis. Scinditque voratque  
 Obstantes turmas Caprae Mavortius heros,  
 Bellator quondam Saracenis notus in oris.  
 245 Dux quoque Medinnae magna stipante caterva  
 Devolat in densos cuneos princepsque Leonis

- Ense metit Poenos Maumettanumque furorem  
 Sustinet et multos cruciandos tradidit Orco.  
 Tondiliusque heros nudo mucrone catervas  
 250 Perforat, ut pavidas magno stridore columbas  
 Falco premit, pisces veluti ballaena minores  
 Insequitur, — non terga tamen vertere cohortes  
 Mülleae obnixaeque acuunt clamoribus iras  
 Pectoraque obiciunt telis mortemque minantur  
 Immemoresque sui discrimina cuncta capessunt.  
 Ceu generosa furit silvestris gloria tauri,  
 In foveam postquam cecidit, manstrescere nescit:  
 Sic Arabum proles, ubi maior saevit Erinys,  
 Haud dubiam in mortem densos prorumpit in hostes,  
 260 Depromit pharetris hastilia tincta veneno.  
 Missilibusque dies tegitur reboatque tremendis  
 Concussus bombis et crebris ictibus aer.  
 Mortis ubique pavor: strepitus gemitusque cadentum  
 Auditur. pleni despumant sanguine rivi.  
 Undique caesorum ingentes spectantur acervi.  
 Stant obnixae acies et cedere nescia virtus  
 Incurtus perfert: compensat vulnera laude  
 Pro patria et falsi pugnât pro lege prophetae  
 Maumettana phalanx, Granatae Martia proles,  
 270 Cui reliqui fortuna nihil servarat adeptis  
 Castellis, raptis populati frugibus agri.  
 Celtiber contra laetus, qui Marte bilustri  
 Victor erat, vero crucifixi numine fretus  
 Pugnât et ante oculos cari praesentia regis,  
 Ceu calcar, stimulis alacres pungentibus urget.  
 Iamque emensus erat devexum Phoebus Olympum  
 Occiduos properans intrare, cubilia, Gades,  
 Christicolum furiis cum rex incensus et ira  
 In medios hostes devectus fulminat ense  
 280 Proxima quaeque metens montani fulminis instar,  
 Cum populatur agros plenus rupto obice torrens:  
 Sic Arabum cuneos scindit Ferrandus et ense  
 Fulmineo invitos retro compingit in urbem.  
 Filius huic comes insigni virtute Ioannes  
 A patre pro castris donatus equestribus armis  
 In Mauros fertur, sequitur quem regia turma  
 Hectoreique duces circum glomerantur; at illum  
 Non retinere queunt multum revocante parente,  
 Quin volitaret equo densos violentus in hostes.  
 290 Ut catulus torvae proles generosa leaenae  
 Indignatur ali contemptoque ubere matris  
 Et praeda advecta meditantem proelia taurum  
 Aggreditur saltuque trucidis prorumpit in armos:  
 Haud secus Hispani princeps spes maxima regni

- 295 Baeticolam urgebat primo sub flore catervam.  
 Tandem non paucis fugit Saracena peremptis  
 Fusa manus; quod ni subito mersisset in undis  
 Occiduis sol pronus equos surgentibus umbris  
 Et nota tutum effugium remeantibus ora  
 300 Per dubios calles Mauris patuisset ad arces,  
 Ultimus ille dies urbi gentique fuisset.  
 Adverso quanquam pugnavit Marte iuventus  
 Maumetti, haud ullo tamen est concussa pavore,  
 Destinatus ante mori, quam Christi sacra fateri  
 305 Odit et Hispani frendens rectoris habenas,  
 Coniurat tolerare famem, dum vita superstes,  
 Pars aditus firmant et muros milite replent.  
 Ipse eques in campum portis erumpit apertis  
 Christicolumque acies praelustrat et alite vectus  
 310 Quadrupede irritat iactis hastilibus hostem.  
 Mox dat terga fugae, nec stricto comminus ense  
 Inter confertas audet pugnare cohortes,  
 Quod si praecipiti cursu violentius agmen  
 Celtiber Maurum assequitur, fugientia terga,  
 315 Telorum tunc omne genus volat urbe propinqua  
 Frangit et instantes bombardas molaribus alas.  
 At rex Ferrandus revocato milite, ne quid  
 Accipiat damni, tuto locat aggere castra  
 Et procul obsidione gravi circumligat urbem.  
 320 Vastantur villae et praeculti iugera ruris;  
 Irriguosque hortos et poma recentia ramis,  
 Dulcia praedantur Saracenae pabula gentis.  
 Quae plebs adverso bello graviora timebat,  
 Ergo lacessito mortem quaerebat ab hoste.  
 325 Ut tigris densa venantum cincta corona,  
 Cum nullum effugium pateat, venabula contra  
 Fertur et horrendo moritura invadit hiatu:  
 Armatos cuneos rabido sic acta furore  
 Prorumpit gliscente fame Saracena caterva.  
 330 Hispanos quanquam procures et conscia virtus  
 Et belli raptaret amor, tamen arma repressit  
 Iam mota et merito cauti solertia regis.  
 Scilicet est melius, dignum nec laude minori  
 Incolumes servare suos, sine sanguine palmam  
 335 Quaerere, quam saevos hostes superare cruore.  
 Noctes atque dies miles vigilabat in armis  
 Pro castris hostemque fame domiturus acerbum  
 Hispanus tuto lenta obsidione premebat.  
 Rex vetuit tentare locis discrimen iniquis,  
 340 Non tamen audaci cessit fiducia Mauro,  
 Ultro animum tollens pallorem casside celat  
 Castraque pennigeris telis hostilia turbat,

Sustinet assuetus modico ieiunia ventris  
Expectatque hiemem, si forte recederet hostis.

Iam gravis autumnus pars ultima venerat imbre,  
Putre solum et ventis horrebat frigidus aer,  
Insolitoque licet riguisset frigore tellus  
Concreta, ut tecto vix inclementia caeli  
Sufferri posset, castris tamen imber et Eurus  
350 Et nix perfertur, nam regis provida cura  
Plurima de magnis villarum tecta ruinis  
Erexit fecitque domos, si videris, urbem  
Credideris, vallo praecinxit et aggere celso.

Interea regina novas Isabella phalangas  
355 Ducit et innumeras vestes aurique talenta  
Evehit, ut merito donaret munere turmas,  
Adventuque suo longe conterrita pubes  
Baeticolum regno et sectae tunc credidit actum.  
Norat enim auspiciis reginae et viribus arma  
360 Mota, nec incepto desistet, donec ab imo  
Occiduae victrix Babylonis verterit arcem.  
Iam certus palmae exultat Celtiber et ultro  
Frigore laetatur, rigeat quod paenula crustis  
Oraque contundat gelidarum vellus aquarum:  
Noscitur insignis magno in discrimine virtus.  
Fortibus ac timidis regis praesentia calcar  
Esse solet, quando pariter labor omnibus aequus,  
Cum speratur honos et nullum praemia fallunt.  
Castellum, quod erat sublimi in vertice montis

370 Maurorum, emissa cepit regina cohorte  
Florentesque acies, canis licet arva pruinis  
Squalerent, propius perituram ducit ad urbem.

Rex ubi Baudillus tristem maerore senatum  
Vidit et ora fame tenuis pallentia plebis  
375 Augerique novis Ferrandi castra manipulis,  
Nec nive, nec ventis, pluviis, nec frigore motos  
Hispanos tanquam duris e rupibus ortos,  
Stat rationis inops, videt insuperabile fatum,  
Exitium regni, cives sine viribus arma

380 Nequiquam petere et victori occurrere victos,  
Quoque magis differt exposcere foedera pacis,  
Conditio asperior fiet veniaque carebit  
In serum dilata salus. Nec fit mora. Praeco  
Concilium vocat et solio rex infit ab alto:

Pro patria, o cives, debemus pectora morti  
Obicere et nostrae legem praeferre saluti  
Et mox casurae laudem praeponere vitae.  
Fecimus hoc omnes, quid enim tentare pericli  
Hactenus omisum est; non vos superavit Hiberus,  
At deus omnipotens et, quae domat omnia, vicit

Dira fames, neque enim humano nunc cedimus hosti,  
 Sed superis, qui nos meliora ad tempora servant.  
 Stat nulli fortuna diu, non turpe putemus  
 Cedere temporibus, non vitae ignava capido est,  
 Funera cum nullam mereantur inertia laudem.  
 Dum licuit, cives, audacter strinximus enses,  
 Ulterius tolerare moras et perdere plebem,  
 Vincere cum nequeas hostem, temeraria virtus.  
 Pax ergo Hispano subito est a rege petenda.  
 400 Poscamus censum nostrum ritumque sacrorum.  
 Sit liber, quocunque volet Saracenus abire:  
 Haec si pax nobis datur, accipienda videtur.  
 Sin aliter vobis visum est, meliora sequamur.  
 Consulite afflicto populo.

Nec plura locutus  
 Discessit. Gemuere omnes maestusque senatus  
 Solatur plebem et regi parere monebat.  
 Exclusit cum dira moras penuria rerum.  
 Festinant igitur flentes et iussa facessunt.  
 Mittuntur proceres, quorum veneranda senectus  
 Veridicisque inerat torrens facundia verbis.  
 Temporaque evinctis ramo florentis olivae  
 Legati mandata ferunt urbemque relinquunt  
 Custodesque adeunt primos et castra secunda  
 Herculeis stipata viris regemque requirunt.  
 Illic purpureis stabant tentoria velis  
 Auratoque throno Ferrandus et inclyta coniunx  
 Sceptra tenens solioque Isabella sedebat eburno  
 Laetaque pro meritis tribuebat praemia turmis.  
 Postquam introgressi concessaque copia fandi est,  
 420 Tunc oratorum princeps sic farier orsus:  
 Armipotens, salve, rector telluris Hiberæ.  
 Quem tua iam fecit notum super aethera virtus,  
 Venimus orantes veniam pacemque rogantes,  
 Quam freti pietate tua speramus et illa  
 425 Foedere perpetuo tecum inviolata manebit.  
 Promissi fideique tenax Saracena propago est.  
 Non regno indecores, nec te servasse pigebit  
 Ingratos segnesque viros; tua fulmina contra  
 Pro patrio stetimus ritu, pro dulcibus arvis.  
 430 Sic alacres pro te, postquam deus et tua virtus  
 Nos tibi subiecit, quemcunque vocemur in hostem,  
 Invenies, nostro nec rege fidelior alter.  
 Nosti, quanta fides, quae sit prudentia, quanto  
 Robore praecellat, nunquam contrarius armis  
 543 Ipse tuis claros voluit tardare triumphos.  
 Dum Malacam Battamque petis, ceu pace sequestra  
 Inter vos fidus mansit Baudillus amicus.

- Sic tibi Granatae nosces populumque patresque  
 Devotos, si salvus ager, si sacra relictā,  
 410 Et, quo plura dabis, nexu maiore ligabis.  
 Dixerat haec habitu maesto squalente capillo  
 Atraque vestis erat, ceu cari in funere patris  
 Aut qualem in patriae extrema decet esse ruina.  
 Tunc rex prostratos attollens fronte serena  
 415 Porrectae firmat titubantes foedere dextrae.  
 Ne timeas. Arabum genus alto a sanguine, — dixit, —  
 Urbis opes linquo vobis propriosque penates;  
 Quem colitis, sit vester ager standique facultas  
 Libera, sive cupit Libyen Syriosque penates,  
 420 Classe veham tuta, nec cogam vertere sacra,  
 Sit licet in magnis soboles Saracena tenebris  
 Ignoretque deum, qua religione colendus  
 Sit, tamen errorem non vi, sed sponte relinquat.  
 Pone metum. Magnum praeceptum legis habemus;  
 Parcere non solum infensis, sed amate iubemur  
 Subiectis et opem conferre piosque fovere,  
 Amplecti fidos. tantum punire nocentes.  
 Sola rebellandi frenanda licentia vobis.  
 Solvite Christicolās, quisquis captivus apud vos,  
 425 Exeat huc liber; detur mihi filius obses  
 Regius ac turmae nostrae ingrediantur Alandram  
 Militibusque meis portas reserate patentēs;  
 Annonam, non arma ferant.

Nec plura locutus

- Compositae iussit pacis responsa referre.  
 435 Venerat alma dies Iani bifrontis origo,  
 Virgine qua cretus nomen suscepit Iesus,  
 Per quem vera salus miseris mortalibus orta est.  
 Hac quoque Christicolis Baudillus vincula dempsit  
 Luce, iugo horrendo quos multis presserat annis.  
 440 Convenere simul vinclis atque aere soluti  
 Vertice nudato lachrymisque rigantibus ora  
 Incluta caelestis crucifixi signa sequentes  
 Daviticos festis iterabant cantibus hymnos  
 Alternae et laeti victricia castra petebant.  
 445 Non sic demerso Rubris pharaone sub undis  
 Servitio ereptus duro spoliisque potitus  
 Litore Iudaeus tuto referebat honores  
 Terrarum caelique patri; duce lampade noctu,  
 Nube die carpebat iter ceu tectus ab umbra.  
 450 Qualis Avernalis patefacto carcere portae  
 Prosiluit laetata cohors Christumque secuta  
 Stelligerum longo vidit post tempore caelum.  
 Ut macie vultus squalentes, colla catenis  
 Livida conspexit miseram regina catervam,

- 486 Vestē ciboque fovens patrias dimisit in oras,  
 Ut dulces alius natos aliusque parentes,  
 Hic maesta aspiciat lachrymosae coniugis ora.  
 Postera vix noctis tenebras Aurora fugarat,  
 Cum Maumettanus stridentia robora custos  
 490 Ferratae reserat portae primusque patenti  
 Ingressus valva Zebedei martyris heros  
 Pacatam turmis una victricibus urbem  
 Trisque arces fido replevit milite, ne qua  
 Mobilitas vulgus dubiumque averteret hostem.  
 495 Sacra salutiferae castus solennia missae  
 Romano ritu celebravit in aede sacerdos,  
 Qui quondam fuerat delectus episcopus urbis,  
 Post octingentos annos tandem hostia Christi  
 Viva prophanatas mundavit sordibus aras.  
 500 Candida Christicolae figunt in turribus altis  
 Victricis vexilla crucis, tum regia signa,  
 A dextra ex solido Iacobus apostolus auro,  
 Crux erat in medio, laudes cui voce canora  
 Exhibuit devota cohors genuflexaque fusis  
 505 Ubertim lachrymis iterat venerabile lignum:  
 Salve, hominum robur, salve, crux, daemonis horror,  
 Tu victrix mortis spoliasti Tartaron umbris,  
 Unica letiferi, salve, medicina veneni.  
 Exulibus nobis caelique ex arce fugatis.  
 510 Siderei clausum reserasti limen Olympi.  
 Te duce Granatae victores cepimus arcem,  
 Immensas igitur grates Hispania reddit,  
 Nec cessat laeta Zebedeum voce patronum  
 Laudare, affinem Christi fratremque Ioannis,  
 Alter enim Hispanos, alter defendit Eoos,  
 In medio Roma est, Christi firmissima petra.  
 Sic pia sollicitae sunt vota audita parentis  
 Ferrandique sui laudes ad sidera tollit  
 Reginamque canit, cui saecula nulla tulerunt  
 520 Religione parem, non altera fortior armis,  
 Nec tam cara suis tot dona impendit amicis,  
 Cui deus et virtus dedit extirpare nefandam  
 Maumetti labem, quae post longissima saecula  
 Iustitiae exorta dissolvit luce tenebras.  
 Lugubri interea rector Saracenus amictu  
 Ad regem Hispanum posito diademate venit  
 Incomptisque comis aderat maestissima coniunx  
 Pronaque victrici lachrymans dedit oscula dextrae.  
 At sortem humanam miserans Isabella iacentes  
 530 Sublevat et meliora iubet sperare suumque  
 Reddidit infantem, fuerat qui foederis obses,  
 Tondilius ductor, quem rex praefecerat arci,

Frugibus ac telis et milite replet Alandram.  
Omnia Ferrandus caecis penetralibus arma  
535 In lucem proferre iubet mortemque minatur,  
Telorum si quid reliqui latuisset in urbe.  
Nec mora fit iussis. Gladiorum milia centum,  
Quot nec de magna Carthagine sustulit enses  
Roma potens, quando certatum est viribus aequis,  
540 Efferturque ingens numerus thoracis aeni,  
Spicula quis numerare queat plenasque pharetras  
Fraxineosque arcus; vix tot Gaetulia telis  
Indiaque armatur certis metuenda sagittis.  
Excedit mensura fidem. Quid fulmina belli,  
545 Aeratos referam, tormenta horrentia, bombos.  
His, inquam, Granata diu superaverat armis  
Christicolum tolerare minas urbemque tueri,  
Si validas etiam iunxisset Gallia vires.  
Atque ubi devictis erepta licentia ferri  
550 Baeticolis foedusque datum est, regina vocatis  
Praemia partitur populis et talia fatur:  
Res ingens effecta, duces, laetemur ovantes,  
Impia Maumetti eluimus commenta nefandi.  
Hoc vestrae peperere manus; iam Baetis et omnis  
555 Sidereo paret sine labe Hispania Christo.  
Africa restat adhuc sacro purganda liquore  
Et nostro frenanda iugo. Deus hanc quoque vobis  
Concedet, numen laeti sperate secundum.  
Interea gestis pro tot bene corpora rebus  
560 Alterna liceat paulum donare quiete.  
Dixit et ingenti plausu sonuere cohortes  
Victricique suum reginae quisque favorem  
Certatim ostentat, se mente opibusque paratos,  
Ire simul, quocunque velit deducere, clamant.  
565 At bona donatas regali munere turmas  
Confestim patrias Isabella remisit in oras.  
Nec mora. Compositis rebus sacrisque peractis  
Quadriiugo vehitur rex et regina triumpho  
Per Tartessiacas populis plaudentibus urbes,  
570 Sidereis tanquam demissum numen ab astris;  
Omnibus in templis redolentia thura cremantur.  
At ne qua haeretici maculetur labe veneni  
Gens electa dei et felix Hispania duret,  
Protinus Hebraeam statuit purgare mephitim.  
575 Omnibus e regnis agitur synagoga rebellis,  
Exulat extorris Quintili mense fugatus,  
Exitiale caput scelerum, Iudaeus Apelles.  
Ne quaeras numerum, non gens populosior illa est,  
Altera nec totum magis est effusa per orbem.  
580 Sustinet hanc quanquam superi clementia Christi,

Ne veteris legis finxisse aenigma putemur.  
Quicquid enim Moses, quicquid cecinere prophetae,  
Est euangelii robur testemque citamus  
Infensum, regina tamen sapienter abegit,  
Perdere vectigal pretiosi maluit auri,  
Quam Christi purum inficerent contagia fontem.  
Imprimit occultum serpens ut vipera morsum.  
Dira venenatae merito commercia gentis  
Sustulit, ut sanum Christi tueretur ovile.

Quae poterit laudare satis facundia regem?  
Carmine quis digno reginam ad sidera tollet.  
Cui nulla aequalem saeculorum viderit aetas  
Religione, fide, bello, pietate, pudore?  
Clara licet victis fuerit Zenobia Parthis  
Et Nini coniunx Asiae superaverit urbes.  
Hostibus ulta virum quanquam Artemisia caesis  
Extiterit cinerum dilecti coniugis urna:  
Quis neget has claras, vitis tamen incluta virtus  
Mixta fuit, contra longe cumulata relucet  
Et sine labe notae maiestas gentis Hiberæ.

O thalamus felix, o dextro sidere iunctum  
Connubium, superent Cumæi pulveris annos,  
Per quos de caelo terram revocata revisit  
Astraea et fulvi redierunt saecula metalli.  
Depulsis tandem tenebris culpaque fugata  
Iustitiae exortum iubar est, duo lumina fulgent.  
Discite, mortales, utriusque hic gloria sexus  
Normaque vivendi est Ferrandus et aurea coniunx.  
Religionis honor prima est et maxima cura,  
Proxima subiectos caritate fovere paterna,  
Publica privatis praeponere commoda rebus,  
Ne qua sit immunis virtus, nec crimen inultum,  
Armorum rabies saevique licentia ferri  
Immanes fidei solum vertatur in hostes.

At vos, Christicolæ, disrupto foedere pacis  
In vestra, heu, miseri, convertitis ilia ferrum,  
Tristia letiferi ceu desint pabula Martis,  
Tertia truncati nec pars haec integra mundi  
Sincerum Christi crucifixi dogma tuetur.

Quis furor, o reges, quae tanta oblivio recti  
Impulit in vestros gladium distringere fratres?  
Unde salus orta est, Solimon natalis Iesu  
Praesaepe impuri nunc est stabulumque tyranni:  
Hoc, hoc extirpate nefas, hanc tollite labem.  
Illic fas omnem rabiem diffundere belli,  
Tunc iustis odiis Martem exercere licebit.  
Interea pacem laeti sancite perennem,  
Nil melius pace est, multis pax una trophaeis

Est potior: belli finis requiesque laborum est.  
 Gaudeat alma fides. laetetur Hiberia felix,  
 Nam tibi quae maior Saraceno palma fugato  
 Esse potest? At tu fastis, Romane sacerdos,  
 Inserere gesta sacris. Lux est memoranda poetæ.  
 Vos, precor, ingenium quibus est et copia maior,  
 Carmine sublimi dignos celebrate triumphos.

## GRATULATIO CHRISTIANORUM

DE INCOLUMITATE FERDINANDI REGIS HISPANIARUM  
 AB INSULTU FANATICI PARRICIDAE.

Est curae superis regni moderator Hiberi,  
 Iustitia insignis pariter Ferrandus et armis.  
 Grata deo est pietas raroque obnoxia fraudi.  
 Exanimata nefas timuerunt saecula diri  
 5 Daemonis, instanti eripuit divina periclo  
 Servavitque pium merito clementia regem.  
 Exarsit livore satan fremuitque superbo  
 Ore ferox sua sacra rapi sordesque nefandi  
 Maumetti extergi purgatis Baetidos oris;  
 10 Accepit sanctum Christi Granata nitorem,  
 Quin immunda lues regnis excessit Hiberis  
 Atque omnis sentina mali, Iudaeus abactus  
 Exulat, his solum cultus divinus in oris  
 Integer excolitur; tumuit Cocythius hostis  
 15 Egregii virtute ducis sua regna perempta  
 Et Libyen similem iam iam spectare ruinam.  
 Concilium horrendum Stygia furibundus in aula  
 Convocat, exponit, quantum conatibus obstet  
 Tartareis pulso Saraceno Hispania victrix;  
 20 Tollere iuravit Ferrandus et aurea coniunx,  
 Quicquid Avernales scelerum sparsere furores,  
 Signifer ut Stygiae Maumettus corruat alae.  
 In Tartessiaco regno nil iuris habemus;  
 Ecce salutiferi celebrant solemnia Christi  
 25 Occiduae gentes, at nos cessamus inertes,  
 Ignavum telis vulgus terebramus acutis.  
 Haec est insignis nostri victoria Martis  
 In sanctos reges; torpent ad vulnera dextrae,  
 Ceu desint vires et fraudum effeta voluntas  
 30 Perdendi mortale genus consumpserit artes.  
 Cunctamur resides, at non contatur Hiberus,

- Martia nec coniunx cessat noctesque diēsque  
 Prostrato Mauro crucifixi extendere legem.  
 Africa, quae paret nostris imbuta venenis,  
 35 Omnia sollicito prospectat carbasa visu,  
 Hispano quisquis classem de litore solvit:  
 Hanc quoque perdemus, nisi nostris corruat armis  
 Rex prius, hoc nobis stabit victoria caeso.  
 Dixerat. Hoc torvo Stygii simul ore fremebant  
 40 Daemones atque unus violenta percitus ira  
 Iurat in exitium regis spatiumque modumque  
 Deligit, illapsus praecordia repit agrestis  
 Insanique hominis, vexat miserabile pectus  
 Horrenda et variis turbant insomnia formis,  
 45 Arragonum ut perimat regem famaēque perennis:  
 Sic decus instabit vel parti gloria regni.  
 His actus furiis collum venerabile regis  
 Parricida ferox nequiquam vulnerat ense.  
 Nil agis, infelix daemon, custodia solers  
 50 Excubat angelica et vigiles pro principe turmae  
 Amovere nefas. Superabit Nestoris annos  
 Ferrandus victorque una cum coniuge nomen  
 Scindet Avernalis Maumetti, diruet aras  
 Sacrilegi ritus, gladium nec differet ultra  
 55 Stringere fulmineum Christo duce et auspice Christo,  
 Victricis vexilla crucis deducet in hostem.  
 Dire satan, tentes licet artes mille nocendi,  
 Non prohibere tamen poteris regemque morari.  
 Quin arma expediat, trans Calpen classe parata  
 60 Ocius aestiferas ferro populabitur urbes.  
 Ut crescente fide divum simulacra ruerunt  
 Sculptilium et caecus stultorum apparuit error,  
 Sic obscena ruent Saraccae opprobria sectae,  
 Clarum euangelii iubar exorietur ubique.  
 65 Christicolae interea tanto pro munere grates  
 Innumeras animo mundo referamus ovantes,  
 Solvamus pia vota deo; nil rege timendum est  
 Tam claro incolumi, cuius tremit Africa nomen  
 Formidantque urbes Syriae, ne Martia victor  
 70 Agmina Ferrandus Solimorum ducat in arcem.
-

## SCRIPTURA CODICUM.

Variantes lectiones ad scripturam attinentes in Annotationibus Criticis simplicitatis gratia non assumpsimus, sed hic separatim collegimus. Parenthesibus clausimus lectiones, quae nonnumquam vel semper in codicibus proveniunt.

*Scriptusim* *ae* (pro *e*) *saepenumero* — *ae* (œ) caenum, maestus — *b* (r): subrepere — *c* (cc): Oceanus — *c* (ch): carus, simulacrum, Turca — *c* (qu): locutus — *c* (t): commercium (comertium), convicium, dicio — *ch* (c): chalybs, charitas — *e* (ae): cedere (caedere), celare, cepisse (*ex* capere), effectus, letalis, letifer, letum, sceptrum — *e* (i): genetrix (genitrix) — *e* (oe): cepisse (*ex* capere), effetus (effoetus), fecisse, fecundus, felix, femineus (foemineus), ferox, sceptrum — *f* (ff): Africa — *f* (ph): Africa, nefandus, nefas, profanare, profanus — *ff* (f): effrenus — *i* (—): obicex — *i* (ii): obicere — *h* (—): anhelare (hanelare), hamadryas (amadrias), Heraclius, hydra (idra), — *i* (y): aenigma (enigma), Cirrhaeus (Cyrreus), hiems, sibilare (sybilare), sidereus, sidus, tigris (tygris) — *l* (ll): milia, religio, squalere — *ll* (l): ballaena (balena) — *m* (n): circumdare — *mm* (m): commentum, commercium (comertium), comminus; consummare — *mn* (nn): solemnus — *n* (—): coniunx (coniux) — *n* (nn): Erinys (Herinnys) — *oe* (e, ae): *saepenumero* — *p* (b): opprobrium (obprobium) — *pp* (p): Iuppiter — *pt* (tt): phoenicopterus — *r* (n): irrepere — *r* (rh): Thracia (Trhacia) — *r* (rh): Cyrus — *rh* (r): rhythmus (ritmus, rythmus) — *t* (c): otium — *t* (ct): suffultus — *t* (th): Artemisia, Atlantis, catena, Itys (Ithis), satan, Teucris — *t* (tt): litoreus, litus — *th* (t): Carthago, Coccythius, cothurnus, rhythmus (ritmus, rythmus), Thracia (Trhacia), thronus — *tt* (ct): sagitta — *x* (s): cinxisse, mixtus — *x* (ss): devexus, fraxineus — *y* (i): Aegyptus (Egiptus), Babylon, clypeus, Ephyre, Erythraeus (Erithreus), hamadryas (amadrias), hydra (idra), inclytus, Itys (Ithis), lachryma, lachrymosus, Libycus, Libye, mysterium, Pylus, rhythmus (ritmus, rythmus), Smyrnaeus (Smirneus), synagoga, Syrius — *Reliquimus* *b*: omittere (obmittere), sustinere (substinere), sustulisse (substulisse) — *c*: nequiquam (nequicquam) — *d*: astare (adstare) — *h*: anhelare (hanelare), Erinys (Herinnys), Oreus (Horeus), ornus (hornus), ostium (hostium).

---

## ANNOTATIONES CRITICAE.

s. m. secunda manus.

*Pr. I. — MF — Tit.* Praefatio I. ad Ugolini Verini praefatio ad *MF* - 3. Bethicam *MF* - 6. utrius *F* - 7. haereticarum *in ras.* *M*, marranae *F* - 10. tamen—innotuerunt] plurimorum tamen hortatione Nicholai imprimis et Francisci Delnigro vestre maiestatis precipue cultorum *F* panagyricon *MF*

*Pr. II. — M — Tit.* Praefatio II.—reginam] Ad Isabellam gloriosissimam Hispaniarum reginam eiusdem Ugolini praefatio *M* 6. Panagyricon *M*

*Liber I. — M* (28—usque ad finem), *F — Tit.* Panegyricon—Baetidos] Ugolini Verini Panegyricon—Bethidos *F* - 12. *supra* daemonis *scr.* numinis *F* - 27. Heraclius *corr. ex* Heracleus *F* - 30. Apprehendit *MF* - 43. Bethidos *MF* - 49. Thebae *F* - 74. omnes *F* - 75. scelerata propago *corr. ex* marrana cloaca *F* - 78. Synne *M*, Sinnae *F* 114. [Romanos—error.] *om.* *F* - 171. populus *F* - 185. Nel Ni *MF* 191. deprehendat *MF* - 196. Obtestor—paranda *om.* *F* 200. arripient *F* - 209. Tarcessiacis *MF* - 292. Abstorgius *MF* - 293. Moxius *F* - 298. Conignius *M* 349. Alfamam *F* Boetidos *MF* - 350. iter] ita *M* - 374. seminel nomine *M* 386. Naec *F* 395. famae *F* - 401. Naec *F* - 418. Alfamam *F* 420. Poenol primo *M* - 425. in aedel inediae *F* - 430. merendo *F* - 438. Beticolas *MF* - 454. Libyem *M* - 472. Malacum *M* 473. artius] artibus *F* - 474. Mutius *MF* 489. primis *corr. in* primo *M*, primis *F* - 493. Maurus] marus *corr. ex* manus *F* - 499. apprehenso *M*, aprehenso *F* - 500. Mutius *MF* 514. Sericie *M*, Sericiae *F* - 519. Frondentemque *M* - 521. Perfectusque *F* - 526. Boeticula *M*, Boeticola *F* - 540. sensin (*n in corr.*) *F* - 543. Beticola *M*, Boeticola *F* - 568. crudus] enidus *M* - 594. Thermodoonta *MF* 602. irrueret] tereret *corr. ex* terreret *M* - 619. penetravit *F* - 620. sequebatur *F* - 644. Libyae *F* 656. Bethicolis *M*, Beticolis *F* 711. Ne *corr. in:* Naec *F* - raperetur *M* - 721. odoratos, o (*littera paenultima*) *in corr.*, certo legi nequit *M*, odoratis *F* - hortos] horos, o (*littera paenultima*) *in corr.*, certo legi nequit *M* 732. occultos *corr. ex* occultas *MF* - 741. Bethicolum *M*, Boeticolum *F* - Post versum 744. Finit liber primus de expugnatione Bethidos *M*, Finit liber primus *F*

*Liber II. — MF — Tit.* Incipit liber secundus *M*, Incipit secundus *F* - 1. dum sevit *M* - 24. quam *F* - 67. moderator *M* - 90. maderae *F* - 99. Alfamam *F* - 123. pararat *M* - 162. artes *M* 193. Avulsosque *M* - 238. Bethicolum *M*, Beticolum *F* - 273. numine *corr. ex* nomine *M* - 295. Bethicolam *M*, Beticolam *F* - 305. et *corr. in* enim *F* - 310. Quadrupedae *F* - 325. cuncta *F* - 339. vetuit] metuit *M* - 358. Bethicolum *M*, Baethicolum *F* 431. queneunque *M* 452.

*post deum s. m. inscr. et* - 507. *Tartaron corr. ex Tartarum M* 516. *In—petra posterius inscr. M* 550. *Bethicolis MF* - 568. *Quadriugo F* - 569. *Tarcessiacas MF* - *Post versum* 635. *Finis MF*

*Gr. — MF — Tit. Gratulatio—Ferdinandi regis—parricidae* Gratulatio—regis—parricide: *Ugolini Verini M*, Gratulatio—Ferdinandi regis—parricidae. *Ugolini Verini F* - 9. *Bethidos MF* II. *Quin immunda* *Quin marrana corr. in Herreseosque F* immunda *in ras. M* - 23. *Tarcessiaco MF* - 35. *garbasa MF* - 45. *Aragonum F* - 60. *Ocius corr. in Ocyus M* 69. *nae F* *Post versum* 70. *Finis MF*

## INDEX NOMINUM.

## Pr. Prologus — Gr. Gratulatio

- Abstorgius*, v. *Astorgius*.  
*Achilles* II, 230. Pr. I, 9.  
*Aegyptus* I, 205, 219.  
*Aeneia nutrix* (*Caieta*) I, 442.  
*Aeolius mons* I, 381.  
*Afri* I, 649, 679.  
*Africa* I, 160, 218. II, 161, 556. Gr. 34, 68.  
*Alandra* II, 461, 533.  
*Alcinous* I, 444.  
*Alexander Magnus* Pr. I, 9.  
*Almeria* I, 352, 720. II, 100, 163.  
*Alonsus*, *Medinneus* I, 379.  
*Alphama* I, 180, 349, 367, 391, 418. II, 99.  
*Alpinae pruinæ* I, 580.  
*Alpini imbres* II, 192.  
*Alex* I, 286.  
*Anemar ductor* I, 363.  
*Antonius* Pr. II, 8.  
*Aonius fons* I, 308.  
*Apelles*, *Indaeus* II, 577.  
*Apollinea testudo* II, 96.  
*Aquilo* II, 38.  
*Arabes* I, 25, 107, 114, 445. II, 258, 282, 446.  
*Arragones* I, 249, Gr. 45.  
*Artemisia* II, 595.  
*Arus* I, 294.  
*Asia* II, 595. Pr. I, 1.  
*Astorgius* (Annot. Crit.: *Abstorgius*) *heros* I, 292, 378.  
*Astraea* II, 604.  
*Atlantis* I, 721.  
*Aurora* II, 288.  
*Avernales furores* Gr. 21.  
*Avernalis Maumettus* Gr. 53. — *porta* II, 480.  
*Babylon* I, 350, 625, 724. II, 121, 361.  
*Bactri* I, 461.  
*Bacchus* (v. *Lyaenus*) II, 82.  
*Baetica regio* Pr. I, 3.  
*Baeticola* I, 526. — *caterva* II, 295. — *princeps* I, 543.  
*Baeticolæ* I, 438, 656, 741. II, 238, 358, 550.  
*Baetis* I, 43, 349. II, 554. Gr. 9.  
*Batta* I, 529, 543, 561, 599, 616, 624, 645, 620. II, 99, 164, 436.  
*Eattana iuventus* I, 557. — *turma* I, 540.  
*Battanae turres* I, 582.  
*Battanium robur* I, 628.  
*Baudillus* II, 134, 147, 211, 373, 437, 468.  
*Benerentia pubes* I, 296.  
*Biliana phalanx* I, 290.  
*Bistonii agri* I, 596.  
*Bistonius Mars* I, 310.  
*Brontes* II, 48.  
*Bucephalus* I, 261.  
*Caieta*, v. *Aeneia nutrix*.  
*Calatrave ductor* I, 279.  
*Calpe* Gr. 59.  
*Cancer (sidus)* I, 327.  
*Cantaber* I, 207, 371.  
*Cantera* I, 278.  
*Capra* I, 301. II, 243.  
*Carolus* (v. *Carlus*) *Magnus* Pr. I, 10 (bis). II, 4.  
*Carlus* (v. *Carolus*) *Magnus* I, 15.  
*Carthago* II, 588. Pr. I, 5. — *Nova* I, 317.  
*Castulo* I, 191, 248, 288, 294, 582.  
*Celtiber* I, 480. II, 71, 167, 272, 314, 362.  
*Ceres* II, 82.  
*Christiana, res publica* Pr. II, 12.  
*Christiani* Pr. I, 1 (bis).  
*Christianissimus princeps* Pr. I, 10.  
*Christicola* I, 203, 365, 602.  
*Christicolæ* I, 34, 63, 167, 238, 403, 447, 540, 546, 709. II, 136, 175, 189, 209,

- 278, 309, 459, 468, 500, 547, 615. Gr. 65. — proceres I, 684.  
*Christipara virgo* I, 13.  
*Christus* (v. Iesus) I, 11, 46, 58, 86, 92, 110, 120, 125, 215, 268, 282, 331, 355, 573, 585. II, 98, 114, 225, 304, 619. Pr. I, 1, 7. II, 3, 5, 7, 12. Gr. 491, 498, 514, 516, 555, 580, 586, 589, 10, 24, 55 (bis).  
*Cirrhaeus daemon* I, 12.  
*Coccythius hostis* Gr. 14.  
*Conignius*, v. *Corugnius*.  
*Corugnius* (Annot. Crit.: *Conignius*) I, 298.  
*Cumaes pulver* II, 602.  
*Cyrus* I, 597. '  
*Danai* II, 231.  
*David* Pr. II, 3.  
*Davitici hymni* II, 473.  
*Degus* I, 373.  
*Delnigro*, *Franciscus* Annot. Crit. Pr. I, 10.  
*Diana* (v. *Latonia virgo*) I, 642.  
*Druentia* II, 191.  
*Ebosium* II, 90.  
*Edvartus*, *Lusitanus princeps* II, 12.  
*Egligus* I, 305.  
*Eoi* I, 213, 462. II, 515.  
*Ephyre* II, 26.  
*Erinyes* I, 609, 649. II, 258.  
*Erythraea unda* II, 56.  
*Europa* I, 104, 213. Pr. I, 1.  
*Eurus* II, 349.  
*Eva* I, 11.  
*Fama* I, 165, 357.  
*Ferdinandus* (v. *Ferrandus*) rex Pr. I, 10.  
*Ferrandus* (v. *Ferdinandus*) rex I, 18, 65, 76, 93, 246, 323, 424, 452, 503, 520, 599, 623, 639, 657, 731. II, 2, 115, 130, 141, 198, 282, 317, 375, 416, 518, 534, 608. Gr. 2, 20, 52, 70.  
*Florentia* I, 307. Pr. I, 6.  
*Franci* Pr. I, 10.  
*Fuscaria regina* (v. *Isabella*) I, 718.  
*Gades* I, 8, 32, 284. II, 277.  
*Gaditanus custos* I, 481. — dux II, 237.  
*Gaetula pubes* II, 70.  
*Gaetulia* I, 655. II, 542.  
*Gallia* II, 548.  
*Geraldinus vates* Pr. II, 7.  
*Graecia* I, 26. Pr. I, 2.  
*Granata* I, 44, 50, 106, 200, 363, 627, 646, 694, 726. II, 101, 129, 135, 204, 269, 438, 511, 546. Pr. I, 5. II, 5. Gr. 10. '  
*Hebraea mephitis* II, 574.  
*Hector* II, 231.  
*Hectori duces* II, 287.  
*Hellespontiacae undae* I, 90.  
*Heracleus*, v. *Heraclius*.  
*Heraclius* (Annot. Crit.: *Heracleus*) I, 27.  
*Herculea gens* II, 242.  
*Herculae* *Gades* I, 32, 284.  
*Herculei viri* II, 414. '  
*Hesperia* I, 100, 339, 663.  
*Hesperides* I, 443.  
*Hibera gens* II, 3, 600. — regina I, 723. — regna Gr. II. — tellus I, 168, 333. II, 421.  
*Hiberae* I, 107. — nurus I, 554. — terrae I, 241, 671. — urbes I, 443.  
*Hiberi* I, 40, 588. II, 97. Pr. I, 4.  
*Hiberia* I, 2, 113, 320. II, 118, 630.  
*Hiberum regnum* Gr. 1.  
*Hiberus* I, 56, 214, 628. II, 67, 389. Gr. 31. — Mars II, 171. — rector I, 531. II, 232. — rex I, 360. II, 202.  
*Hispalia aula* II, 73.  
*Hispalis* (*Sibilia Magna*) I, 274. II, 3, 61.  
*Hispana arma* II, 58.  
*Hispanae cohortes* I, 378. — opes II, 117. — turmae I, 152. — urbes I, 744. '  
*Hispani* I, 429, 512, 533, 585, 622, 632. II, 377, 515. — manipuli I, 560. — proceres II, 102, 330.  
*Hispania* I, 52, 144, 183. II, 21, 183, 512, 555, 573. Pr. I, 3. II, 7. Gr. 19.  
*Hispaniae* Pr. II, 5.  
*Hispaniensis gloria* Pr. I, 12.  
*Hispanum litus* I, 715. Gr. 36. — regnum I, 263. II, 137, 294.  
*Hispanus* II, 165, 338. — dux II, 194. — exercitus II, 222. — rector II, 305. — rex II, 399, 526. — tumultus I, 357.  
*Jacobus apostolus* II, 502.  
*Ianus* (deus) II, 465.  
*Idaeae urbes* I, 618.  
*Iesus* (v. *Christus*) II, 466, 622.  
*Iliaca senecta* I, 666. '  
*Indi* II, 60.  
*India* II, 543.  
*Ioannes*, *sanctus* II, 514. — *Ferdinandi filius* I, 264, 664, 686. II, 284.  
*Isabella regina* I, 94, 253, 592, 615, 743. II, 354, 417, 529, 566. Pr. I, 7, 10. II, 1. — *Ferdinandi filia* II, 13. '  
*Ismarius Itys* II, 88.  
*Italae orae* I, 88.  
*Italia* Pr. I, 6.  
*Itys* II, 88.  
*Iudaea lingua* I, 87.  
*Iudaeus* I, 69. II, 477. Gr. 12. — *Apelles* II, 577.  
*Iuno* I, 618.  
*Iunonia ales* (pavo) II, 86.  
*Iuppiter* I, 618, 621.

- Larnense saxum* I, 315.  
*Latonia virgo* (v. Diana) II, 109.  
*Leon* I, 280. II, 246.  
*Libyca antra* II, 239.  
*Libycae terrae* I, 672. — undae I, 5.  
     — urbes I, 204.  
*Libye* I, 30, 264, 454, 644, 654. II, 143, 449. Pr. I, 1. II, 12. Gr. 16.  
*Limphantius heros* I, 283.  
*Lucina* II, 111.  
*Lusitanus princeps* I, 490. — rex II, 9.  
*Lyaeus* (v. Baechus) II, 127.  
*Malaca* I, 163, 352, 472, 520, 604, 645. II, 99, 163, 436.  
*Malacenses* I, 469.  
*Malacensis arx* I, 452. — Mucius I, 474. — pubes I, 505. — strages I, 690.  
*Marrana cloaca* Annot. Crit. I, 75. — foeditas Annot. Crit. Pr. I, 7. — lues Annot. Crit. Gr. II.  
*Maria*, v. Christipara virgo.  
*Mars* I, 18, 130, 199, 246, 277, 310, 415, 455, 700, 728, 735. II, 35, 171, 198, 201, 272, 303, 617, 626. Pr. I, 5. Gr. 27.  
*Martia agmina* Gr. 69. — coniunx I, 599. Gr. 32. — Hispania I, 144. — proles II, 269. — pubes I, 386, 632.  
*Martius dux* I, 286. — Hector II, 231.  
*Maumettana haeresis* Pr. I, 1. — lues I, 448. — manus I, 111. — phalanx I, 362. II, 269. — propago II, 126.  
*Maumettanus custos* II, 489. — furor II, 247. — pedites I, 399. — sanguis I, 610.  
*Maumettus* I, 4, 59, 124, 170, 211, 283, 342, 517, 648, 671, 713. II, 140, 303, 523, 553. Gr. 9, 22, 53.  
*Maura propago* I, 722.  
*Mauri* I, 55, 104, 109, 203, 208, 213, 387, 414, 515, 536, 662. II, 103, 235, 286, 300, 358, 370. Pr. I, 5.  
*Maurum agmen* II, 314.  
*Maurus* I, 291, 493, 635, 680. II, 195, 340. Gr. 33. — princeps II, 232.  
*Mavortius coniunx* I, 521.  
*Mavortius heros* II, 243.  
*Medinna* I, 281. II, 245.  
*Medinneus Alonsus* I, 379.  
*Memphis* I, 205.  
*Menglotia soboles* I, 273. — stirps I, 374.  
*Minerva*, v. Tritonis.  
*Morius* (Annot. Crit.: Moxius) I, 293.  
*Moxes* I, 78. II, 582.  
*Moxius*, v. Morius.  
*Mucius Malacensis* I, 474, 500.  
*Mulleae cohortes* II, 253.  
*Mulleus rex* I, 198.  
*Musae* Pr. I, 9.  
*Nestor* Gr. 51.  
*Nicholaus* Annot. Crit. Pr. I, 10.  
*Nilotica Thebe* I, 49.  
*Nilus* I, 30.  
*Ninus* II, 595.  
*Notus* II, 38.  
*Oceanus* I, 433. II, 5.  
*Octana pubes* I, 319.  
*Olympus* II, 276, 510.  
*Orcus* II, 248.  
*Pactolus* II, 57.  
*Paestum* I, 444.  
*Palaestinae parentes* I, 265.  
*Parthi* I, 38. II, 594.  
*Parthus* II, 70.  
*Pellaeus rex* (v. Philippus) I, 260.  
*Penthesilea* I, 595.  
*Persae* I, 597. II, 59.  
*Philippus* (v. Pellaus rex), rex Macedonum I, 261.  
*Phlegraea pugna* I, 617.  
*Phoebus* I, 579, 642. II, 276.  
*Phoenicia sedes* I, 317.  
*Pimpleus liquor* II, 16.  
*Pisaeus carcer* II, 68.  
*Placentinae orae* I, 287.  
*Poeni* II, 247.  
*Poenus* I, 420.  
*Pylia senecta* I, 666.  
*Quadi* I, 675, 683, 717. II, 100.  
*Quintilis mensis* II, 576.  
*Rhodanus* II, 193.  
*Roma* I, 642. II, 516, 539.  
*Romana oppida* I, 89.  
*Romani* Pr. I, 5. — fasces I, 26. — ritus I, 114.  
*Romanus ritus* II, 496. — sacerdos II, 632.  
*Rubrae undae* II, 475.  
*Saguntum* I, 420.  
*Saldinia* I, 319.  
*Saracena Baetis* I, 349. — caterva II, 329. — gens II, 322. — iuventus I, 375. II, 149. — manus I, 601. II, 296. — phalanx II, 122. — proelia II, 200. — propago I, 563. II, 426. — secta Gr. 63. — soboles II, 451. turba I, 228.  
*Saracенаe arae* II, 178. — orae II, 244. — urbes I, 165, 691.  
*Saraceni* I, 473. II, 98. Pr. I, 3. II, 5, 9.  
*Saracenum agmen* I, 388. II, 223. — caenum I, 672. — imperium I, 544. — nomen I, 45. — numen I, 209. — venenum I, 330.  
*Saracenus* II, 401, 631. Gr. 19. — princeps I, 301. — rector II, 525.  
*Sardoa tellus* I, 249.  
*Scipiadae* I, 318.  
*Scythia* I, 598.

- Semiramis* I, 461.  
*Seres* I, 720.  
*Sericæ vestes* I, 514.  
*Sibilia Magna* (v. *Hispalis*) II, 4.  
*Sicoris* I, 314.  
*Siculæ urbes* I, 249.  
*Sidonia vada* II, 26.  
*Sidonius taurus* II, 196.  
*Sina* I, 78.  
*Smyrnaeus furor* I, 623.  
*Socraticæ chartæ* I, 309.  
*Solimi* Gr. 70.  
*Solimon* I, 214. II, 622.  
*Sophocleus cothurnus* I, 19.  
*Stygia ala* Gr. 22. — *aula* Gr. 17.  
*Stygii daemones* Gr. 39.  
*Suerus* I, 314.  
*Syria* I, 30. Gr. 69.  
*Syriæ catervæ* II, 143. — *cohortes*  
     I, 218.  
*Syrii penates* II, 448.  
*Syrius* I, 486.  
*Tagus* I, 315.  
*Tartaræ lacunæ* I, 28.  
*Tartarei conatus* Gr. 19.  
*Tartaros* II, 507.  
*Tartessiacæ* (Annot. Crit.: *Tarcessia-*  
     *cae*) undæ I, 209. — *urbes* II, 569.  
*Tartessiacum* (Annot. Crit.: *Tarces-*  
     *siacum*) regnum Gr. 23.  
*Tarcessiacæ et Tarcessiacum*, v. *Tar-*  
     *tessiacæ et Tartessiacum*.  
*Teucris* II, 230.  
*Thebe* I, 49.  
*Thermodon* I, 594.  
*Thracia* Pr. I, 2.  
*Tonda* II, 99.  
*Tondilium sceptrum* I, 305.  
*Tondilius ductor* II, 532. — *heros* II,  
     249.  
*Tritonis* (*Minerva*) II, 48.  
*Troia æquora* II, 229.  
*Tunes* I, 85, 678.  
*Turcae* Pr. I, 1.  
*Turdula proles* II, 131, 220. — *pubes*  
     I, 179.  
*Urognius* I, 300.  
*Venus* I, 70. II, 126.  
*Victoria* I, 3.  
*Viliena castra* II, 190.  
*Vulcanius ignis* II, 47.  
*Zebedeus martyr* I, 275. II, 491, 513.  
*Zenobia* II, 594.  
*Zifontius rector* I, 297.
-

# BIBLIOTHECA SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ

## SAECULA XII—XIII.

*P. magister*, quondam Bele regis Hungarie notarius, Gesta Hungarorum ed. Juhász. 1932. — — — — — RM. 5,40

## SAECULA XIV—XV.

*Trevisanus Maior*, Zacharias, Orationes et testamentum edd. Bertalot — Gothein. 1933. (Exeditur.)

## SAECULUM XV.

- Barbarus*, Franciscus, Epistolae ed. Gothein. 1934. (Apparebit.)  
 — Orationes. Una cum orationibus ad eundem habitis ed. Gothein. 1923. (Exeditur.)
- Barius*, Nicolaus — *Kostolan*, Georgius Polycarpus de — *Hungarus*, Simon — *Zagabriensis*, Georgius Augustinus, Reliquiae ed. Juhász. 1932. — — — — — RM. 1,50
- Callimachus* Experiens, Attila. Accedunt opuscula Quintii Aemiliani Cimbriaci ad Attilam pertinentia ed. Kardos. 1932. — — — RM. 1,70
- Martius*, Galeottus, Carmina ed. Juhász. 1932. — — — RM. 1,80  
 — De dictis ac factis regis Mathiae ed. Juhász. 1933. (Exeditur.)  
 — Epistolae ed. Juhász. 1930. — — — — — RM. 1,—  
 — Invectivae in Franciscum Philelphum ed. Juhász. 1932. — RM. 2,50
- Pannonius*, Ianus, Opera ed. Huszti. 1933. (Apparebit.)
- Philelphus*, Franciscus, Sphortias edd. Fögel—Juhász. 1933. (Exeditur.)
- Ransanus*, Petrus, Epitoma rerum Hungararum ed. Juhász. 1933. (Exeditur.)
- Seneca*, Thomas, Historia Bononiensis. Qualiter Galeatus Marescottus eques extraxit Hannibalem Bentevolum de carceribus et reliqua per utrumque gesta. Carmen epicum ed. Fögel. 1932. — — RM. 3,00
- Valagussa*, Georgius, Epistolae ed. Juhász. 1933. (Apparebit.)
- Vitez* de Zredna, Iohannes, Epistolae ed. Juhász. 1933. (Apparebit.)  
 — Orationes ed. Juhász. 1933. (Apparebit.)

## SAECULA XV—XVI.

- Celtis*, Protucius, Conradus, Amorum libri IV. ed. Pindter. 1933. (Exeditur.)  
 — Ludus Dianae — Rhapsodia ed. Rupprich. 1933. (Exeditur.)  
 — Oratio in gymnasio in Ingelstadio publice recitata. Cum carminibus ad orationem pertinentibus ed. Rupprich. 1932. — RM. 1,30
- Fontius*, Bartholomaeus, Carmina edd. Fögel—Juhász. 1932. — RM. 2,—  
 — Epistolarum libri III. ed. Juhász. 1931. — — — RM. 4,50
- Piso*, Iacobus, Opera ed. Juhász. 1933. (Apparebit.)
- Verinus*, Ugolinus, Carlias edd. Fögel—Juhász. 1933. (Apparebit.)  
 — Panegyricon ad Ferdinandum regem et Isabellam reginam Hispaniarum de Saracenis Baetidos gloriosa expugnatione edd. Fögel—Juhász. 1933. RM. 2,20

---

PRETIUM HUIUS VOLUMINIS RM. 2,20